ANATOMIA CONSILII EDITI

De ſtabilienda pace Regni Poloniæ Ieſuitis pulſis.

Mendacia conficta à quodam anonymo impoſtore contra religioſum ſocietatis IESV *ordinem*

DETEGENS.

Authore GASPARE CICHOCKI, *Canonico & Parrocho Sendomirienſi.*

Inite conſilium & diſſipabitur, loquimini verbum & non fiet, quia nobiſcum Deus. ISAIÆ 8.

Stulti Principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. ISAIÆ 19.

Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium & non ex me, & ordiremini telam & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum. ISAIÆ 30.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij Typographi Regij.
Anno Domini, M.DC.XI.

COLL.ROM.SOC.IESV.BIBL.

Digitized by Google

IN ANONYMVM IESVITARVM ZOILVM.

Innocuos ſpurco proſcindit anonymus ore,
Falſaq́; pro veris vendere, gaudet iners.
Quæris cur? careat cùm nomine, nomen ab ipſo
Mendacis ſaltem, poſſit habere dolo.

ALIVD.

Prodierat certo quidam ſine nomine ſcriptor,
Conſiliis celans dira venena ſuis.
At pius infames retegit CICHOCIVS *artes,*
Conſtet vt innocuis integra fama viris.

Digitized by Google

PRÆFATIO.
AD LECTOREM.

*P*Rodiit ante biennium circiter, *Lector optime, abſq; autoris & typrographi nomine, libellus quidam famoſus, hoc titulo:* Conſiliũ de recuperanda & ſtabilienda pace Regni Poloniæ, &c. *à duobus, vt videtur, ſcriptoribus cõpoſitus. Alter eorum Polonus fuit, & primus auctor, qui Polonicè ſcripſit; alter Germanus aut Pruteno Polonus, qui interpretis officio functus, in Latinã linguam illum tranſtulit, ſua etiam propria deliria nonnulla admiſcens. Neuter nomen ſuum appoſuit, vterq; vnum eundemq; ſcopum ſibi præfixit, vt famam & nomen religioſi ordinis Societatis* IESV *traduceret, eiq; perpetuum quoddam odium, & ſi poſſet, extremum etiam periculum accerſeret. Legi & relegi omnia diligenter; duoq; potiſſimum admiratus ſum. Primum quidem, tantam mendaciorum & impoſturarum farraginem tam paucis paginis comprahendi potuiſſe, quantam ego, vt ingenuè fatear, coactam in vnum nuſquam vidi. Deinde, quòd non illicò impoſtoribus illis pro ſocietate fuiſſet reſponſum. At hoc poſterius facilè mirari deſij, cùm mecum expenderem, iuſtas aliquot cauſas huius ſilentij ſubeſſe potuiſſe. Nam inprimis poterat illud ſuadere, ipſa impoſturarum & mendaciorum euidentia, quæ vel per ſeipſa, vt pote nullis ſuffulta rationum præſidiis, & pondere turpitudinis ſuæ preſſa paulatim conciderent. Status præterea ipſe, quem tunc temporis obtinebat Reſpublica noſtra turbulentum, altercationes huiuſmodi reſpuebat. Obiecta etiam penè omnia, iam antea à viris doctiſſimis confutata, nullum reſponſum requirere videbantur. Sed & expectabatur, ſi fortè anonymi illi lucifugæ, libelli auctores, nomen ſuum aliquando proderent: & modus antabatarum more pugnandi contra laruas & vmbras hoſtis ignoti & incerti diſplicebat: deniq; tempori res permittebatur tota, vt eius progreſſu, prout multa alia ſolent, vel flacceſceret, vel euaneſceret penitus: tempore ſiquidem omnia imbecilliora fieri ſapientes exiſtimarunt. His ego rationibus motus, ſilentium illud prætermiſſi reſponſi (quod a-*

lioquin famoſo illi libello iure debebatur) facilè probaui, & probaſſem deinceps quoque, cenſuiſſémq; cum Sapiente, non reſpondendum ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, niſi me noua quædam aduerſariorum impudentia alio abripuiſſet. Nam hoc rurſus anno iidem illi anonymi blaterones, è latebris ſuis æquè vt antea obſcuri, & nomen ſuum occultantes (vt potè indignum quod ſolem aſpiciat aliquando) prodierunt: Eundem illum ſuum libellum denuò typis mandari curarunt, titulis nouis adornarunt. Scomata in Ieſuitas auxerunt, vt victorum inſtar de hoſte, ne viſò quidem, nedum cæſo, triumphare ſibi viderentur. Hac tanta rei indignitate commotus, continere me vltra nec debui nec potui, pro æquitate & innocentia calamum ſtringere conſtitui, & operæ pretium duxi reſpondere etiam ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſapiens ſibi videatur; maximè cùm, Seneca teſte, nemo ſibi tantum erret, ſed aliis quoque erroris cauſa & auctor eſſe ſoleat. Perſequar ergo iſtos latrunculos Syriæ, qui in occulto ex inſidiis ſagittant immaculatum, perſequar inquam & comprehendam Deo duce & adiutore. Neq; vercor quicquam quòd in incertũ pugnare videbor, contra hoſtem obſcurum & nomen ſuum occultantem, ſiquidem non contra nomen, ſed contra caput illius vbicunq; fuerit, tela dirigam. Potens eſt Deus, ſagittam etiam in incertum directam, defigere inter pulmonem & ſtomachum impij Achab, quia ſagitta ſalutis Domini
3. Reg: 22. eſt, quæ pro Domino emittitur. Et ſagittæ paruulorum plagæ impio-
4. Reg: 13. rum ſunt. Porrò huic refutationi meæ, qua conſilium illud impium impugno, Anatomiæ titulum præfixi; membratim enim & diſtinctè mendacia & conuitia conſiliarij impij confutabo, non illa quidem omnia, quæ multitudine ſua me obruerent, legentibus verò nauſeam & faſtidium ingererẽt, ſed præcipua quæq; & in quibus anonymus ille impoſtor, præcipuum ſuæ impudentiæ pondus & momentũ conſtiuit. Quod ad ordinem ſpectat, veſtigiis aduerſarij inhærebo. Et primùm examinabo ea quæ ille prolegomenorum & fundamẽti loco præmittit. Deinde diſcutiam quatuor propoſitionis eius partes, & eodẽ ordine, certis articulis ſingulis expediam. Tu æquũ te amice lector iudicem exhibe, & æquitatis amans, ſtudium hoc noſtrum pro æquitate, boni conſule.

Digitized by Google

⁂

AD Illuſtrem & Magnificum Dominum, D. IOANNEM de Lezenice GOSTOMSKI, Capitaneum Vałecenſem Varecenſemque inclytum.

Præfatio dedicatoria auctoris.

QVamdiu tandem, Illuſtris Domine, per eandem lineam ſerram reciprocabimus? dixerat quidam; qui cùm aliquoties aduerſarij contumelias & conuitia repreßiſſet, nec ille conuitiari deſineret, laborem caſſum non vltra reſumendum ratus, ceßit campo: ſed ita ceßit, vt iaculum eiusdem ſemel pectori aduerſarij infixum, nunquam extrahi amplius potuerit. Quid enim aduerſario toties proſtrato, & deiecto, faciat intrepidus miles? niſi vt hoſtem in noua prælia inſurgentem contemnat, vel impetu vehementiori recollecto, ad extremum conficiat. Talia fermè ſunt omnium hæreticorum ingenia, quæ toties & diſputationibus publicis, & tot libris editis, tametſi proſternantur & configantur, penes ſe tamen ſtare victoriam imperitioribus

ritioribus perſuadere nituntur, imo vt Olympiaca porticus, vocem immiſſam, ſepties reddere ſolebat, quam propterea oppidani ἑπτάφωνον *vocauêre: ita iſti quamuis ſolidiſſimis argumentis & rationibus conuincuntur, ſcommata ſexcenta regerunt, ſed talia quæ per porticus concauitates inania ſeruntur, & euaneſcunt. Quot & quoties inſurrexerunt hæretici, vel illi qui ſub nomine Catholicorum volebant latere Politici? quorum cùm toties fraudes, impoſturæ, contumeliæ, & cõuitia detecta fuerint, tamen more ranarum iterum ex lacunis exilire, & ſuas coaxationes repetere non verentur. Nonnè Montanus Arnaldicas actiones deiecerat? nonnè fictitij Equitis Poloni, Martinus Szyßkowski, vir Senatorius, & Staniſlaus Reſcius, rerum experientia & eruditione domi & foris clariſſimus, equum & ſeſſorem terræ alliſerant? Nonnè Gretſerus, nonnè alij inſignes pietate & eruditione viri, horum rugientium Leonum ora obturauerant? non tamen maledicæ linguæ poterant ſe continere, quin ad ingenium redirent, vt quæ morſibus conficere non poterant, ſaltem latratu canino inſectarentur. At contemnere quiuis iam facilè poterat inſultus iſtos toties repetitos, niſi noui conſilij prodiiſſet ſubminiſtrator quidam, qui aliunde petito argumento, hoc idem quod & cæteri aggreditur, cui inquam idem propoſitum eſt, nimirum venerandam & omnibus piis deſideratiſſimam Societatem IESV, calumniis & conuitiis mendacibus proſcindere. Quod cùm ægerrimè ferrem, dolore iuſto permotus, intorſi & mea*

contra

Digitized by Google

contra hunc iacula. Quidquid enim in Societatem ab iſto effutitur, quaſi in meum ſolius caput iactum fuerit, accipio, & ferè animo deiicior, cùm improborum hominum licentiam, eouſq; progreſſam eſſe video, vt impune illis liceat, ſi quem velint, enormibus onerare contumeliis. Nec diffiteri poſſum, ita me famoſis libellis, in Societatem aliquoties ſparſis, permotum fuiſſe, vt vehementer optarim, me iſthæc nunquam aſpexiſſe aut legiſſe. Viderint autem illi, vt cum Cypriano loquar, qui vel furori ſuo, vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis & ſanctitatis immemores, iactare interim geſtiunt, quæ probare non poſſunt, vt cùm innocentiam expugnare & deſtruere non valeant, ſatis habeant vel famæ falſo rumore, maculas inſpergere. Certè quod Præpoſitis & Sacerdotibus congruit, danda eſt opera, vt talia, cùm à quibuſdam ſcribuntur, per nos refutentur. Porrò hoc fieri debere oſtendimus, ſi quando talia quorundam calumnioſa temeritate conſcripta ſunt, ne legi apud nos patiamur. Hactenus Cyprianus. Ego verò fateor ingenuè, me hæc & alia legiſſe quidem omnia poteſtate mihi ad id facta, non vt curioſius aliquid ſcrutarer, nec vt Patrum Societatis IESV innocentiam tuerer, hoc enim ante me præſtitêre plurimi, nec quod ignorarem innocentiam & veritatem nullis humanis egere præſidiis, nec ita opprimi poſſe, quin ſtatim emergat; ſed vt iſtius impoſtoris odium, malitiam, & fraudes detegerem, ac omnibus conſpuendas, & execrandas exhiberem, tum ne quaſi de parta victoria

Epi: ad Cor Papam.

ſibi blan-

Digitized by Google

ſibi blandiretur, vel ne incautiores & rerum imperitos, ſubdolis ac Machiauelisticis technis ſuis irretiret. Quanquam præpotens Deus improbitatem quandoq; inualeſcere permittit, vt poſtea ad bonum eadem vtatur. Videmus ex inſtinctu diaboli, tot venenatas in Societatē IESV inſurrexiſſe linguas, vt cùm remiſsius contra reliquorum religioſorum ordines, tum vniuerſum clerum agere, imò ei quaſi abblandiri videantur, in hanc vnam religionem conuitia exacuant ſua, in hanc totis viribus ſpicula vibrent, huius ſolius iugulum petant: ſed tantum abeſt, vt eam loco moueant, vt multo clariorem & illuſtriorem, tot perſe-

In li: Nū: cap: 24. cutionibus reddant. Pulchrè Origenes id expreſsiſſe legitur: *Malitiam, inquit, Deus non fecit, tamen cùm ab aliis inuentam poſſet prohibere, non prohibet; ſed cum ipſis à quibus habetur, vtitur ea ad neceſſarias cauſas. Per ipſos in quibus eſt malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Virtus enim, non habens aliquod contrarium, non eluceſceret; non probata verò nec examinata virtus, nec virtus eſt. Tolle malitiam fratrum Ioſeph, tolle inuidiam, tolle parricidiale commentum, vide quantam ſimul peremeris diſpenſationem Dei.* Hactenus Origenes. Quid igitur noſter Anonymus conſultor lucri fecit? quid reportauit commodi? ſeipſum videlicet prodidit malitioſum eſſe, & ſine fronte, ac lectiſsimum organum diaboli, qui magnas iampridem conceperat iras aduerſus Societatis Patres, quos experiebatur regni ſui euerſores. Inter

alias au-

uerende Domine & amice coniunctiſsime, pro Eccleſia Dei zelum, & pro tuendis illis, qui Deo & Eccleſiæ labores ſuos omnes conſecrarunt, ſtudium, quippe Deo gratiſsimum & Eccleſiæ eius vtiliſsimum, vt non poſſum non probare vehementer, ita futurum ſpero, vt & proborum Catholicorum animi erigantur, & reprimatur audacia hæreticorum, & obtrectatorum omnium, qui cùm ipſi erroribus, vitiis & ſceleribus vndique ſcateant, virtutem integram & ſibiipſi merentem, nullo modo ferre quietam poſſunt; ſed quà calumniis, quà conuitiis eam vbique proſcindunt, & apud omnes traducere conantur. Porrò Deus Optimus Maximus, qui olim impiorum in turri Babilonica exſtruenda confudit & diſsipauit conſilia, etiam refringet & retundet horum aduerſariorum noſtrorum conatus improbos omnes, & conſeruabit in ſuo ſtatu religionem Catholicam Romanam, quam ſingulari ipſius beneficio, & Patrum Societatis vigilantia, & laboribus excultam, in dies magis florere & clareſcere in Polonia noſtra, magna animorum noſtrorum voluptate intuemur. Quare perge alacriter vir optime, in

 his labo-

Digitized by Google

his laboribis tuis pro Eccleſia Dei ſuſceptis. Aderit cæptis tuis Deus, qui tibi conſilij huius ſalubris auctor extitit: Grex hircorum contra quem depugnas, pauidus eſt, ſecum ipſe diſſentiens eſt: à te ſunt vota & auxilia bonorum omnium, nihil cunctare, aude & viciſti. Ego pro meo erga fidem & Eccleſiam Catholicam ſtudio; pro ea quam præceptoribus debeo obſeruantia; pro mea deniq; tecum veteri neceſſitudine, illud tibi polliceri poſſum, me non commiſſurum, vt vllum meum in te adiuuando officium deſideres, ſiue fauorem expectes, ſiue facultates requiras meas. Quinimò ſi ſanguis ipſe pro Eccleſia & ſeruis Dei mihi fundendus ſit, Dei auxilio, paratum me inuenies. Vale amice integerrime, & mei memineris, vnà cum patribus meis, qui Sendomiriæ in Goſtominiano Collegio degunt. Veſtris autem inprimis ad Deum precibus me commẽdatum quàm maximè cupio, & me meaq; omnia vobis dedico & deuoueo. Datum ex arce mea Wilczyſka 25. Februarij. Anno Domini, 1611.

Anato-

Digitized by Google

Anatomia hæc, quinque Sectionibus conſtat, Articulis quadraginta octo.

SECTIO PRIMA.

In qua confutantur ea, quæ anonymus conſultor, per modum prolegomenorum, ante ſuam propoſitionem præmittit.

ART: I. *Jn quo oſtenditur anonymum, meritò Diogeni Cynico comparatum.*

ART: II. *Probatur anonymum imparem humeris ſuis prouinciam in Ieſuitis oppugnandis ſibi ſumpſiſſe.*

ART: III. *Anonymum imperitum medicum & conſiliarium, ad medenda Reipub. vulnera acceſſiſſe.*

ART: IV. *Anonymum fingere conſilia quædam ſecretiora Principum Catholicorum, & falſo affingere Concilio Tridentino perturbationem Europæ.*

ART: V. *Jeſuitis nihil minus attribui poſſe, quàm perturbationem Chriſtiani orbis.*

ART: VI. *Quænam ratio regiminis & diſciplinæ apud Jeſuitas ſeruetur.*

ART: VII. *Generalem Jeſuitarum aliis de cauſis, quàm anonymus putat, Romæ reſidere, & nihil cum Hiſpanico regimine commune habere.*

ART: VIII. *Oſtenditur Ieſuitas, neq; ſolos exemptionis priuilegio gaudere, neq; ſolis externis regimen ſuum committere, ſed indigenas maxima ex parte præficere.*

ART: IX. *Jeſuitas in perturbatione Galliæ, nullas partes certas ſecutos eſſe.*

ART: X.

Digitized by Google

ART: X. *Jeſuitas non ita eſſe Hiſpanis addictos, vt anonymus fingit.*

ART: XI. *Quis finis ſit proprius inſtituti Ieſuitarum.*

ART: XII. *A Ieſuitis nihil mali Romanæ ſeu Catholicæ Eccleſiæ aut ſtatui Politico imminere.*

ART: XIII. *Jeſuitas nullam dediſſe cauſam Venetis, vt ſua illos ditione excluderent.*

ART: XIV. *Jeſuitas nullum fœdus ſuſpectum, inter Principes Chriſtianos adornare.*

ART: XV. *Jeſuitas non ambire aulam.*

ART: XVI. *Jeſuitas conuenientem, vbicunque ſunt in ciuitatibus, ſitum & locum obtinere.*

ART: XVII. *Curam erudiendæ iuuentutis, meritò Ieſuitis committi.*

ART: XVIII. *Jeſuitas, ineptè & falſò diſtingui à cæteris religioſis ordinibus, munerum leuiorum repudiatione; falſò item de multis theſauris reconditis, inſimulari.*

SECTIO SECVNDA.

In qua diſcutiuntur & refelluntur calumniæ, quas ab exemplis petitas anonymus infert Ieſuitis.

ART: XIX. *Regnum Galliarum, nunquam fuiſſe à Ieſuitis turbatum, conſiliis aut quæſtionibus vllis.*

ART: XX. *Refelluntur varia mendacia, & impoſturæ anonymi contra Ieſuitas.*

ART: XXI. *Vindicatur Scarga à calumniis anonymi.*

ART: XXII. *Confœderatio non ſine ratione à Ieſuitis impugnatur, & quanam potiſſimum.*

ART: XXIII. *Explicatur prima ratio, demõſtrans confœderationẽ pacis publicæ eſſe inimicam ex eo, quòd omnibus ſectis, etiam maximè contrariis inter ſe, viam muniat.*

ART:

Digitized by Google

alias autem artes veteratorias, quibus illos opprimere conatur, hac vna præcipua vtitur, vt quicquid Miniſtrorum & Satellitum ſuorum commodis & honoribus detractum videt, id quaſi contra Rempub. factum adſtruere conetur. Obſeruauit hanc artem quidam ex recentioribus autoribus, vir doctiſsimus, et exemplo appoſitiſsimo expreſsit Amani Mardocheo irati, qui in totam Iudæorũ gentem irã effundere cupiens, Regem alloquitur, & ſuadet: Eſt (inquiens) populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus, nouis legibus vtens & ceremoniis, inſuper & Regis ſcita contemnens; & optimè noſti, quòd non expediat regno tuo, vt inſoleſcat per licentiam. Eodem planè modo iſti, dum ſibi tum à Principibus, tum à legibus malè metuunt, Societatem IESV *contra Rempublicam, Principes, leges, aliquid moliri calumniantur, cùm illi ipſi ſint, qui euerſas Reſpub. Imperia & Regna cupiunt, cùm à ſuis conſiliis & decretis omnia dependere volunt. Quid verò iſte anonymus noſter? Vide, qua audacia Illuſtres Regni Proceres et Ordines alloquitur, ac ſi ad eum aliqua cura Reipub. pertineat? Fingit contra Reges, Principes, Reſpub. conſpirationes & cædes; Bezæ vero ſui & ſimilium, ſicas & pugiones occultat: ſed non imponet Illuſtribus Regni Proceribus, non Senatui ampliſsimo, non inclytæ Nobilitati; nullos habebit conſilij inconſulti approbatores, præter paucos, quos ex hæreticorum & Machiaueliſtarum colluuie permixtos, qualibet aura popularis diſtorquet, & in diuerſa conſilia repentè abripit.*

)()(*Compa-*

Comparuiſſet hic homo, Illuſtris & Magnifice GOSTOMI, coram illo verè magno & Illuſtri parente tuo, quo vultu, quibus verbis hominem excepiſſet, quomodo os iſtud impurum obmuteſcere feciſſet? Compareat & coram te ipſo, ſi audet, ſentiet certè te non degenerem tanti parentis filium, & eiuſdem erga Societatem animi eſſe experietur. Quæ cùm teipſum & poſtmodum parentem tuum religioni Catholicæ reſtituiſſet, atq; vtriq; veſtrum in promouenda Catholica religione, & pietate propaganda, ſtudium, ſeruorem, & conſtantiam ſuam tot argumentis probauiſſet, non ſolum eam quouis amore & reuerentia dignam cenſuiſtis, verumetiam magnis ſumptibus Collegio Sendomirienſi exædificato, atq; fundato, ita illius inſtitutum exornaſtis, vt nullus in Polonia ex ſecularibus Proceribus, hucuſq; extiterit alicuius Collegij fundator, cum quo certare de gloria hac in parte vterq; veſtrum non poßit. Nam etſi amplioribus ſubſidiis opus inceptum, vt perficiatur, aliquatenus indigeat, non deiicimus tamen animum, breui ad ſuam perfectionem perductum iri, cùm te viuum exemplar virtutis, & pietatis, te liberalitatis paternæ hæredem habeamus ſuperſtitem, cùm depoſitum corpus parentis tui, quod funere magnifice ſplendido mærens extuliſti, in mea paræciali Eccleſia, Collegio annexa, ſepulturæ mandaſti, pignoris loco poßideamus. Nec tu quidem ſegniter id præſtas, vt Collegium hoc, auſpiciis Goſtomianis erectum, verè Goſtomianum dici poßit, cùm alacriter ad illud perficiendum, aßignato quotannis ex propriis reditibus ſumptu, incumbis.

Digitized by Google

cumbis. Ergo cùm Anatomiam hanc in lucem edere conſtituiſſem, tu primus cui dicaretur, & ſub cuius patrocinio exiret, mihi occurriſti. Quis enim contra maleuolos & obtrectatores Societatis IESV te animoſior? quis illius amantior & obſeruantior? Norunt omnia Collegia, tuam erga ſe animi propenſionem ſingularem, nouit domus profeſſa Warſſauienſis & Cracouienſis, nouit Lublinenſe & Poſnanienſe Collegium, tuam & optimi parentis tui munificam & liberalem manum, noui & ipſe ego, qui non poſtremis ab vtroq; veſtrum affectus ſum beneficiis. Quapropter non alium præter teipſum Illuſtris Domine, huius Anatomiæ meæ, patronum & propugnatorem adſciſco: tibi eam do, dono, dedicoq;: nec laboro, ſi aliquos obtrectatores reperero, ſi aliquibus vehementior fuiſſe videbor, modò vt teſtatum faciam, me & ſocietati deuinctiſſimum eſſe (vt pote cui plurimum debeam) & moleſtiſſimè atq; ægerrimè ferre, ſi quis eius religioſiſſimæ vitæ contumelioſe obſtrepat, ſi famæ & bonæ exiſtimationis integritatem laceret atq; proſcindat. Tuum erit Illuſtris Domine, pro innata tibi humanitate, laborem hunc meum quantulumcumq; boni conſulere, eidemq; patrocinari, vt & ipſa Societas, ex tuo patrocinio diutiſſimè lætetur; & ego ex tuis in me collatis beneficiis, optatiſſimum hunc referam fructum, atq; ad alia promeruenda magis idoneus efficiar. Vale Illuſtris & Magnanime GOSTOMI, & Deum Optimum Maximum ſemper habeto propitium.

EXEMPLAR LITERARVM,

Illuſtris & Magnifici Domini, D. Ioannis de Lezenice Gostomski, Capitanei Vałecenſis, Varecenſis, &c. ad libelli auctorem.

Admodum Reuerende Domine, & Pater in Chriſto obſeruandiſſime.

LAbores quos in conſcribenda Anatomia pro Patribus Societatis Iesv aduerſus impoſtorem quendam anonymum R. D. T. ſuſcepit, & legi libenter, & quòd ſub nomine meo in lucem edantur, gratiſſimo animo accepi. Faciunt enim illorum in Eccleſiam Dei merita, vt à quouis bono & probo Catholico amentur, obſeruentur, colantur: faciunt in inſtitutione mea ab ephæbis ipſis, erga me præſtita beneficia, vt niſi me pro illis tanquam pro ipſis parentibus, (ſiquidem diuinæ pariter & humanæ leges, eadem præceptores, quà parentes obſeruantia nos proſequi iubent) cuilibet maleuolo opponam, turpiſſimam ingratitudinis notam mihi inuri putem. Tuum verò iſtud, Re-

uerende

Digitized by Google

ART: XXIV. *Secunda ratio, quæ oſtendit Confœderationem ſeipſam deſtruere, & committere illos inter ſe, qui eam promouent.*

ART: XXV. *Tertia ratio, ab auctoritate hæreſiarcharum præcipuorum, qui Confœderationem damnant.*

ART: XXVI. *Quarta ratio, ab exemplo hæreticorum, qui pacis publicæ cauſa, libertatem religionis, pœnis & legibus publicis à ſuis dominiis arcent.*

ART: XXVII. *Quinta ratio, quæ probat eos qui Confœderationem vrgent, ſeipſos non intelligere, & pro pace, bella & tumultus accerſere.*

ART: XXVIII. *Sexta ratio, ab experientia ipſa, quæ ad oculum oſtendit, pacem vigere non poſſe, vbi religionis diuerſitas viget.*

SECTIO TERTIA.

In qua oſtenditur, malè dilui argumenta ab anonymo, quæ pro Ieſuitis afferri ſolent.

ART: XXIX. *Refelluntur quatuor reſponſiones anonymi ad ea quæ pro Ieſuitis afferri ſolent à Catholicis, oſtendentibus eos vtiles eſſe Eccleſiæ Catholicæ, & Reipublicæ noſtræ.*

ART: XXX. *Jeſuitas cultum religionis Catholicæ, egregiè promouere.*

ART: XXXI. *Refutantur ratiunculæ & inſtantiæ anonymi, quibus confirmat Jeſuitas malè de religione Catholica eſſe meritos.*

ART: XXXII. *Defenditur doctrina Ieſuitarum in Concionibus & libris illorum, & quàm ſit diuerſa ab hæreticorum & Politicorum ſenſu, oſtenditur.*

ART: XXXIII. *Comprobatur modus procedendi Ieſuitarum in Confeſsionibus excipiendis, contra calumnias anonymi.*

ART: XXXIV. *Vindicatur à calumniis anonymi, conuerſatio & vita Ieſuitarum.*

ART: XXXV. *Defenditur Ieſuitarum in ſcribendo & dicendo ſtylus.*

ART: XXXVI. *Jeſuitas cum magno animarum fructu apud Indos & populos Septentrionales verſari.*

ART: XXXVII. *Jmmeritò anonymum Scholis Jeſuitarum obtrectare.*

ART: XXXVIII. *Defenditur Jeſuitarum in rebus agendis induſtria.*

ART: XXXIX. *Jeſuitas iure optimo, & libera Gallorum voluntate, in Galliam reuocatos eſſe.*

SECTIO QVARTA.

In qua probatur, anonymum ineptè, & mala fide reiicere ea, quæ pro retinendis in Polonia Ieſuitis à propugnatoribus eorum allegari ſolent.

ART: XL. *Oſtenditur anonymum mala fide allegare & refutare incommoda, ob quæ Ieſuitæ pelli è Polonia nō poſsint, & ineptè eoſdem cōparare Crucigeris.*

ART: XLI. *Refelluntur quatuor ratiunculæ, quibus anonymus probare contendit, Ieſuitas ſalua iuſtitia, ſaluoq; iure patriæ, pelli poſſe.*

ART: XLII. *Oſtenditur Ieſuitas, citra offenſionem multorum, ex Polonia pelli non poſſe.*

ART: XLIII. *Probatur, miniſtros hæreticorum omnes, iure optimo pelli poſſe, non item Ieſuitas.*

Digitized by Google

ART: XLIV. *Diſcutiuntur diuitiæ miniſtrorum hæreticorum, ab anonymo extenuatæ.*

ART: XLV. *Malè concludere anonymum contrà eos, qui Ieſuitas retinendos in Polonia cenſent.*

SECTIO QVINTA.

In qua oſtenditur anonymum ineptire, cùm Ieſuitas non tantum pellendos, ſed etiam in perpetuum arcendos à Polonia docet.

ART: XLVI. *Exaggeratur dolor anonymi, quem ex reſtitutione Ieſuitarum in Gallias concepit.*

ART: XLVII. *Refutantur ſigillatim modi & rationes omnes, quibus anonymus contendit, Ieſuitis ſemel pulſis, aditum præcludi poſſe & debere.*

ART: XLVIII. *Concluſio Anatomiæ totius, Vale anonymo denuntians.*

Digitized by Google

SECTIO PRIMA ANATOMIÆ.

In qua confutantur ea, quæ anonymus Conſiliarius, ad modum Prolegomenorum, ante Propoſitionem præmittit.

ARTICVLVS I.

In quo oſtenditur anonymum, meritò Diogeni Cynico comparatum.

ORditur telam ſuam anonymus impoſtor, & primo
Morologiæ ſuæ ingreſſu, vt ſibi lectoris animum
conciliet, confert & comparat ſeſe cum Diogene
Cynico. *Nam, vt ille inquit, cùm aliquando Athenienſes
videret in publico periculo concurſare, & arma pro defenſio-
ne patriæ comparare, ne in publica illa ſolicitudine ſolus nihil
ageret, armis alioquin tractandis per ſenectutem minùs idone-
us, dolium, in quo ex inſtituti ſui more habitare conſueuerat, ſurſum deorſumq́; vol-
uere cœpit.* Pari zelo & ſtudio, ipſe Diogenem imitatus, hunc laborem
ſcribēdi contra Ieſuitas, licet non omnium maximè idoneus, ſibi ſum-
pſit, vt auxilium aliquod patriæ laboranti afferret. Pulcherrima ſanè *Diogenis*
comparatio, ſed quæ ipſo ſtatim ingreſſu pulcherrimè claudicare inci- *cum Ano-*
pit, dum Diogenem Cynicum Athenis voluiſſe dolium illud adſtruit. *nymo com-*
Non enim Athenis, ſed Corinthi id factum grauiſſimi auctores & *paratio.*
hiſtorici referunt. Quare accidit anonymo huic, quod olim Balaamo *Conrad. Ly-*
pſeudoprophetæ acciderat: qui cùm animo maledicendi populo Dei *coſten.* *Guid. Bi-*
electo, ad Balac regem pergeret; ipſo ſtatim itineris ingreſſu à via de- *tur.*
clinare cœpit. Hoc verò errore vno dempto, non ineptè prorſus ſe Num : 22.
cum Diogene Cynico comparat. Videbat enim vitam & mores ſuos
ſimillimos eſſe Diogeni illi, homini turpiſſimo ac deliro ſeni, & qui
non tantùm ipſe multis ſcatebat vitiorum turpitudinibus, ſed aliis

Digitized by Google

quoque ad eaſdem ſequendas ducem & auctorem ſeſe exhibebat. Ita hic noſter rediuiuus Diogenes, conſiderare volens vultum natiuitatis & conuerſationis ſuæ, tanquam in ſpeculo, neminem ex omni turba Philoſophorum reperire potuit, præter Diogenem Cynicum, in quo veriorem animi ſui imaginem contemplaretur. Nec tam bene refert ſimia ſimiam, aut coruus coruum, quàm conſiliatorem hunc anonymum Diogenes. Dicet fortaſſis, ſe in ea comparatione non tam vitæ, quàm operis cuiuſdam Heroici, cuius Diogenes in adiuuanda Republica egregium ſpecimen edidiſſet, rationem habuiſſe. Eſto. Demus illi id gratis, ne fortè ipſo ſtatim huius concertationis noſtræ ingreſſu, confuſus animo concidat: ſed expendamus ſaltem, quam inde laudem ſibi comparauerit, dum ſe in ſuſcepta contra Ieſuitas ſcribendi prouincia, imitatum eſſe iactat Diogenem, qui cùm aliud non poſſet, dolij reuolutione, patriæ labenti ſuccurrere conabatur. Atqui eandem planè gloriam conſecutus videtur, quam Diogenes ipſe homo ſtultiſſimus, qui inani illo conatu ſuo, ridendum ſe potiùs quàm laudandum omnibus propinauit. Etenim hoc ipſo, quòd nullam aliam rationem adinuenire potuit ſuccurrendi Reip. periclitanti, quàm per reuerſationem dolij vnius; inopem ſe ab omni conſilio inutilemq; patriæ declarauit: ſtultè ambiuit tam vili opera cooptari in numerum reliquorum ciuium, qui ſanguinem & vitam profundere pro eadem patria parabant. Nec minus inſipientem laborem ſubiit, vt quem nullam opem allaturum Reip. perſpiciebat. Hunc eundem cum Diogene ſtultitiæ funem trahit anonymus iſte noſter: ſiquidem ad inſtar illius, periclitanti patriæ, quando ciues reliqui armis & conſiliis pro ea decertabant, nil aliud præſtare potuit, quàm vt dolium vnum inane verſaret. Nec animaduertit homo ineptiſſimus, ſe hac ratione ſuamq; inopiam denudare, & ridendam aliis exponere; fruſtra nomen & gloriam reliquorum ciuium pro patria laborantium ambire, fruſtra deniq; & nullo prorſus effectu, opus ridiculum moliri, & agendo nihil agere. Ieſuitæ enim, quorum exilia, mortes, pericula ſibi propoſuerat, ne latum quidem vnguem ſuo moti ſunt loco; omnia illis integra, omnia manſere intacta: imo ſtatu etiam aliquanto meliore, vt pote quem innocentia ipſorum, poſt ſedatam patriæ tempeſtatem, magis magiſq; patefacta, illuſtriorem reddidit. Vt vel hinc conſtet Ieſuitarum ordinem, eſſe veram ac germanam portiunculam Eccleſiæ Chriſti, de qua ſic Hila-

Digitized by Google

ſic Hilarius: Hoc habet illa proprium; dum perſecutionem patitur, floret; dum opprimitur, creſcit; dum contemnitur, proficit; dum cæditur, vincit; dum arguitur, intelligit; tunc ſtat, cùm ſuperari videtur. Quare Diogenis iſte imitator, Diogenem hac quidem ex parte conſecutus videtur. Quemadmodum enim ille, verſando dolium ſuum ſordidum & inane, patriæ nihil profuit: ita hic quoque noſter, verſando libellum illum famoſum ſordibus calumniarum & mendaciorũ ſcatentem, ad exilia & mortes Ieſuitarũ à ſe deſignatas, contulit nihil, niſi quòd à Diogene in vno ſuperatus omnino eſt. Siquidẽ Diogenes qualẽqualem illam opellam ſuam, in publico tamen patriæ theatro oſtendit, neminem latere voluit, ſe ſpectandũ omnibus ingenuè exhibuit: At hic noſter Diogenis æmulus neſcitur, quo ex antro ſpecuué prodierit; nobiliſné ſit, an è fæce plebis aliquis opilio; Hæreticus an Catholicus; an verò ex vtroque permixtus, vt ſemibouemué virum, ſemiuirumuébouem repræſentet. Homo quippe obſcurus, laruam & zelum boni ciuis ementitus, nomen ſuum ſuppreſſit, indignum planè quod in oculos vel aures bonorum incurreret, & cuius meritò illum puduerit, ſicut pudere ſolet turpitudinis bubones & noctuas, quæ nocte per obſcura vagantur, ne à cæteris volucribus aut hominibus conſpiciantur. Ad huncplanè modum tenebrio iſte lucem fugit, & cùm latere ipſe quàm maximè cupiat, ne agnoſcatur neué impugnetur, nomen tamen ſuum calumniis & mendaciis celebre per ſcelus, cùm per virtutem non poſſit, ad poſteritatem, cum Heroſtrate illo qui Dianę templum incenderat, propagare cupit. Et quidem hanc occultandi nominis artem in ſcholis Caluiniſtarum didiciſſe videtur, quibus iſtud fraudis genus familiare eſſe ſolet, vt libros ſine certo nomine edant. Meminit doli huius Schluſſerburgius Lutheranus, illumq; duodecim rationibus ſat efficacibus impugnat, & exprobrat Caluiniſtis, quas ego hic breuitatis cauſa omitto. Venio ad alia, quæ idem noſter Diogenes rediuiuus, contra Catholicos omnes, tum maximè contra religioſos ordinis Societatis IESV deblaterat.

Anonymi labor inanis.

Caluiniſtarum dolus in edendis absq; nomine auctoris libris.

Lib: 2. de Theolog: Cal. cap: 7.

ARTICVLVS II.

Probatur anonymum imparem humeris ſuis prouinciam in Ieſuitis oppugnandis ſibi ſumpſiſſe.

Digitized by Google

Poſtquam Diogeni ſe comparauit, & rationem ſimilitudinis expoſuit, concludens exordium illud ſuum, ſic ait: *Ego igitur qui corpore hactenus, per Dei voluntatem, quàm minimum valeo, vt ea ſaltem meî parte quæ adhuc mediocriter viget, Reipub. præſtò ſim, hunc ipſum laborem in me recipere decreui; non quòd ad id maximè omnium idoneus ſim, ſed quòd aliud in præſentia efficacius auxilium patriæ præſtare nequeam.* Ego verò mi Diogenes vt libenter concedo, corpus tibi supereſſe delictis iuuentutis fractum, ita animi tui vigorem nullum prorſus, nedum mediocrem, deprehendere poſſum, niſi illum vigorem intelligas, quo homines etiam improbiſſimi vigent, dum ſeſe in calumniis, mendaciis, & impoſturis excogitandis exercere ſolent. Deinde miror, quid tibi in mentem venerit, vt laborem hunc tuis humeris adeò imparem ſumpſeris, non modo non maximè idoneus, ſed ineptiſſimus omnium; ſtultiſſimè tibi perſuadens patriæ extremùm fluctuanti, nullum aliud remedium præſtari potuiſſe, quàm ſi nouas procellas excitares, nouiſq; diſſidiis & odiis inteſtinis eam perturbares. O te ciuem ſapientem, & nauarchum peritum, dignum, non qui ad puppim ſedeat, & clauum Reipub. teneat, ſed qui claua benè pulſatus, ſentinæ exhauriendæ præſit. Sed pergiſtandem, & duo te potiſſimùm in hoc tuo Conſilio Cynico præſtiturum promittis. *Primò, quæ ſit flammæ vorantis patriam potiſſima materia: tum qua ratione extingui poſſit.* Vir magnus eris, inter Prutenos tuos ſaltem, ſi hæc præſtiteris; ſed parturient tandem hi tam magnificarum tuarum promiſſionum montes, & enatus ridiculus mus, te omnibus ridiculum oſtendet. Deinde conuerſo ad Proceres ſtylo, te aliquid eorum iudicio dignum allaturum diffidis. *Plenus autem ſpe (fore exiſtimas) vt aliquid ſaltem ex hoc quiſquiliarum aceruo granorum colligant. Vtcunq; autem res cadet, mihi* (inquis) *ſufficiet, ſi vel inane dolium verſando, Reipublicæ ſi non operam, affectum ſaltem probem.* Meritò ſanè diffidere potuiſti, te nihil tantorum virorum iudicio dignum allaturum, cùm ne homine dignum quippiam attuleris, ac ne hominē quidem egiſſe videris, ſed lupum. Nam vt lupo vlulas, cuſtodes ac operarios vineæ Domini Sabbaoth allatras & mordes; & quemadmodum lupus caulam ingreſſus, non eſt contentus oue vna ad famem ſedandam, ſed omnium iugulum petit; ita tu quoque fame accenſus ſeu rabie quadam, non es contentus vnius familiæ Chriſti ſugere ſanguinem, ſed omnes etiam Eccleſiaſticos ordines, atq; adeò ipſum Summum Pontificem Principem Paſtorum vnà cum tota

Labor Anonymi ſtultus.

Anonymus lupo ſimilis.

Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia Catholica ſugillas. Illud verè à te, quòd opus hoc Conſilij tui Cynicum, aceruum quiſquiliarum appellaueris. Verè enim aceruí cuiuſdam inſtar eſt, nullis rationũ nexibus colligati, & qui ſcopis tantum diſſolutis & ſaxis malè coaceruatis conſtet. Verè quiſquilias appellas, quæ ſordes tantùm calumniarum & mendaciorum redoleant. At erras grauiter, cùm ex quiſquiliis gemmas colligi poſſe exiſtimas. Nam ſicut ex ſpinis non leguntur vuæ, Chriſto atteſtante; ita neq; gemmæ in quiſquiliis, niſi fortè te ſolo dignę reperiuntur, quæ octauo ſapiente dignum caput tuum exornent. Sed neq; tu ipſe magna ex iſtis tuis quiſquiliis ſperas, vel hoc vno contentus, quòd inane dolium in gratiam patriæ verſaueris. Quantò conſultiùs feciſſes, ſi dolium aliquod non vacuum & inane, ſed muſto Vngarico aut Rhenano, reſinauè Gedanenſi plenum verſaſſes; extinxiſſet in te, mihi crede, inſanam ſitim tuam, quæ te non tam ad bibendum, quàm ad hauriendum largiter, ſolicitare quotidie ſolet, ademiſſetq; omnem Reip. anxiam & importunam curam; exhilaraſſet frontem, atq; os & linguam titubantem in illud pulcherrimum Pacuuianum laxaſſet, *βεβιόκε βεβιόκε*. Sed progrediamur paulatim in tua tecum, quam vocas commentatione, in qua tam multa commentus es, à ratione & veritate aliena.

Matth: 7. & 17.

ARTICVLVS III.

Anonymum imperitum medicum & conſiliarium, ad medenda Reipub. vulnera acceſſiſſe.

POſtquam ſatis conciliaſſe animos Procerum tibi viſus es, repentè ſicut Polypus alter, ex conſiliario in medicum commutatus, ad inueſtigandos morbos Reipub. & cauſas illorum te confers. Sed qualem conſiliarium, talem & archiatrium te exhibes. Conſiliarius es temerarius & ſtultus, vt potè qui à nemine accerſitus ad conſilium dandum, te vltrò & impudenter ingeſſeris, immemor dicti cuiuſdam Sapientis: Ad conſilium niſi vocatus non acceſſeris. Quaſi verò patria noſtra abſq; te, Conſiliariis viris prudentibus, vſu & experientia rerum clariſſimis caruerit, qui meliùs morbos Reip. & cauſas, ac remedia illorum videant. Quid ſtultius à te vel cogitari potuit, quàm vt exiſtimares à te, homine priuato & rudi, ſalutem Reip. dependere oporteres; cùm ea præſertim ſuggereres, quæ ſcopum à te præfixum nulla ratione

Anonymus conſiliarius ſtultus.

 attingere

Digitized by Google

attingere potuerint, prout euentus ipſe comprobauit. An non meritò te in numerum illorum conſiliariorum retulerim, quos Iobo teſte, Deus adducit in ſtultum finem. Imò meritiſſimè, cùm eum tibi ſcopum præfixeris, quem attingere, vel nullo vnquam modo, vel ſine noua eaq; longè grauiſſima perturbatione patriæ, iam tum ſatis afflictæ, non poſſes. Atq; ſimilem planè conſiliario medicum agis, hoc eſt temerarium & ineptum. Qui enim nunquam hanc medendi artem didiceris, nullum vnquam Reipublicæ munus (aſinus ad lyram ſemper iudicatus) obieris, nullum vulnus tractaueris; audes de morbis illius omnibus, & cauſis ac remediis eorum, cœcus de coloribus iudicare. O te imperitum, temerarium & crudelem Æſculapium, qui à nemine inuitatus, nullo rerum vſu præſtans, nulla ſcientia præditus, audes chariſſimæ patriæ manus admouere ſacrilegas, vt primùm rudium ſpeculationum tuarum experimentum in ea capias, & cum tanta iactura ſalutis ipſius, totq; ciuium tuorum quos in illa vna enecaueris, nomen & laudem archiatri tibi quæras. Apage miſer, & teipſum primò helleboro procura, cogitationem patriæ curandæ abijce; quæ ſi morbo aliquo laborat, tua certè ope nulla eget. Habet illa peritiores te medicos, habet Senatores grauiſſimos, habet ex ordine Equeſtri viros peritos, qui longo vſu & experientia edocti, prouidere & curare meliùs omnia norunt: tu ſi maculam illis porrexeris, ſatis honoratus abibis. Porrò illud multò etiam magis in te quis miretur, quòd cùm is ſis, quem paulò ante ſuis coloribus depinxi, audeas tamen, non modò ingerere te ad curam Reipublicæ noſtræ, ſed etiam orbis totius Chriſtiani ſtatum diſcutere, & inueſtigare cauſas malorum omnium ſeculi huius noſtri, vt te vniuerſalem quendam cenſorem, qui de omnibus rebus mundi totius iudicium ſuum interponat, omnes intelligant & rideant. Et non aduertis homo ſtolidiſſime, quod ipſi abecedarij aduertere poſſunt, omnia à te inprimis dici gratis, deinde ſcatere tantùm calumniis, & adornari mendaciis innumeris: quæ ſi refutari deberent ſingula, paginæ ipſæ Calepini, ſcripta non caperent. Talia ſunt, quæ de Pontifice Summo confingis, & impudenter aſſeris, quod nihil aliud ſibi proponat, quàm extendere imperium ſuum ſupra ſtatus omnes politicos & ſpirituales, & quòd in eum finem conciliationes Principum Chriſtianorum procuret: quòd reformationem cleri fraudulenter inſtituat: quòd mediis ad eam turbulentis vtatur: quòd ad vnam famili-

Iob 12. — *Anonymus medicus imperitus.* — *Anonymi mendacia.*

am Au-

„ am Auſtriacam ſplendorem omnem & monarchiam transferre adnitatur. Hæc & his ſimilia, quæ à te nullis rationum ſubnixa præſidiis effutiuntur gratis, ſufficienter confutantur ſi negentur gratis, donec à te comprobata fuerint. Quod ad Græcas Kalendas à te factum iri non dubito.

ARTICVLVS IIII.

Anonymum fingere conſilia quædam ſecretiora Principum Catholicorum, & falſò affingere Concilio Tridentino perturbationem Europæ.

ILlud autem ex omnibus iſtis primùm colligo, te quiſquis es, & qualemcunq; te in hac ſcæna ſimules & fingas, hominem vel apertè hæreticum, vel quod in idem penè recidit, Machiauelliſtam eſſe, hoc eſt Cleri omnis Catholici iuratum hoſtem, qui ſub hac ouina pelle zeli, pro patria & pace Eccleſiæ dentes lupi exeris: vt deinceps minus mireris, ſi te pro tua conditione tractari à me ſentias. Deinde fateor me, ſine riſu duo illa in tuis iſtis quiſquiliis legere non potuiſſe. Alterum eſt, quòd aſſeras illos omnes conatus Summi Pontificis ſecretò cum Principibus Chriſtianis conferri, & diſponi ad eum quem ſibi præfixit finem. Et verò tu, quomodo ad arcana iſta tantorum Principum Chriſtianorum conſilia penetraſti? per quas rimas illa exploraſti, cùm nullius Principis Chriſtiani ne bubulcus quidem ſis, nedum conſiliarius aut ſecretarius? Quis tibi ſpiritus locutus eſt, vt ea tibi reuelaret? Abſens fortè corpore, ſpiritu autem præſens, etiam longè à te remota vides? Aut cum Eliſeo, regis Syriæ inſidias contra Regem Iſräél, ſolus perſpectas habes? Sapientior tu fortè Daniele, cùm omne ſecretum non ſit abſconditum à te? Quid tibi cum Paulo, Daniele, Eliſeo, à quibus tantùm abes, quantùm à luce tenebræ, Belial à Chriſto? Alterum eſt, quod tam audacter affirmes, omnium perturbationum Europæ occaſionem præbuiſſe, reformationem illã Cleri, quam ante annos 50. circiter (nimirum ſub tempus Concilij Tridentini) Pontifex inſtituit. Atqui mi homo, reformatio illa non modò Cleri, ſed populi Chriſtiani vniuerſi, opera quidem & ſtudio Summi Pontificis procurata eſt, ſed annuente & probante orbe Chriſtiano vniuerſo. Conuenerant enim vndique Eccleſiarum Præſides & Paſtores, aderant Principum

Anonymus hæreticus vel Machiauelliſta.

Ezech: 28.

Cleri reformatio per Concilium Tridentinũ facta, optima & legitima.

Chriſtia-

Chriſtianorum Legati: interfuêre plurimi alij viri, pietate & eruditione clariſſimi, & coniunctis animis, & ſtudiis, in eandem omnes morum correctionem conſpirarunt; & quicquid aut fidei Chriſtianæ, aut pietati repugnabat, improbarunt. Ecquam hinc diſſidia & ſimultates anſam habere potuerunt? Imò radicitus euulſa videri poterant, & locum dare optatiſſimæ cuidam vnioni inter Chriſti fideles, qui dum ad eandem omnes fidei, & morum normam inuitarentur, ſimul ad ſummam inter ſe pacem colendam inuitabantur. Diſſidiorum porrò omnium, ſi vera cauſa inueſtiganda eſt, nulla alia rei & veritati magis conſona reperiri poterit, quàm buccinatorum tuorum, qui Eccleſiam Catholicam impugnant, impietas & audacia. Hi enim, omnes penè Principes Chriſtianos cum ſuis ſubditis commiſerunt, cùm Principum poteſtatem & auctoritatem eleuarent, attollerent libertatem ſubditorum, eoſq; quaſi ſigno dato, ad omnem rebellionē excitarunt. Annon manifeſtè id teſtantur tot bella ciuilia, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Vngariæ, Flandriæ, Bohemiæ, Styriæ, Daniæ, Liuoniæ, Scotiæ, Heluetiæ, Morauiæ: in quibus omnibus quinam, obſecro te, alij niſi Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Arriani, Huſſitæ, ſubditi contra ſuos legittimos Principes pugnarunt, vt iugum illorum excuterent; auctoribus & incentoribus miniſtris, qui illis omnium iſtorum incendiorum facem prætulerunt. Audi, ſi placet, Lutherum, quintum Euangeliſtam tuum, quid in hoc genere ſcribat ad Spaletinum ſuum: *Scis,* inquit, *quòd ſi cuiuſpiam opes perdendæ ſunt, Principum perdendæ ſunt, quòd Principem eſſe, & non aliqua ex parte latronem eſſe, aut non, aut vix poſſibile eſt: eóq; maiorem, quo maior Princeps fuerit.* Viſné etiam audire Caluinum, arrige aures, & excipe quid in Danielem ſcribat: *Hodie,* inquit, *vt omnes reges fatui ſunt & bruti; ita etiam ſunt quaſi equi & aſini brutorum animalium.* Et ibidem indignos cenſet, qui in album hominum referantur, non honorandos, ſed in facie ſputis complendos, mimos inſanos. &c. Theodorus Beza, Regem Galliarum ſathanam vocat; nec aliud frequentius in ore habuit, quàm libertatem Eccleſiæ Gallicanæ armis comparandam & conſeruandam eſſe. Sufficiuntné tibi hi duo vel tres teſtes tui, vt ex ore eorum comprobetur veritas quam aſſero? Si plures deſideras, lege libros integros hac de re ab illis editos, Alithiam, Sacrum Concilium, Epiſtolam Brutij, Homicidarum crepitum, Excitatorium Matutinum; in quibus omnibus argumentum hoc egregiè pertractant, & quid de Principum

Diſſidiorũ omnium inter Chriſtianos, auctores miniſtri hæreticorum.

Hæreticorũ de principibus Chriſtianis ſententia.

Tom: 1. epiſt: 241.

In cap. 6. Dan.

Epi: 41.

Principum poteſtate ſentiant, ſat ſuperq; declarant. Quid tibi videtur? An non illi claſſica canunt, vt totum orbem conturbent, & ſubditos in ſuos Principes concitent? Hæccine tibi doctrina pacifica videtur & conformis Apoſtolicæ, quæ iubet vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit; & ſubditos obedire in omni timore dominis, non tantùm bonis, ſed etiam diſcolis? Tantum, crede mihi, doctrina illa tuorum preconum, ab hac doctrina Apoſtolica diſtat, quantum cælum à terra diſtat. Id ſi tu minus vides, cœcus prorſus es, qui tenebras quas palpare manibus potes, oculis cernere non potes. Sed pergamus tecum in tua Morologia.

Rom: 13.
1. Per: 2.

ARTICVLVS V.

Ieſuitis nihil minus attribui poſſe, quàm perturbationem Chriſtiani orbis.

POſtquam multis verbis, verbis inquam non rationibus, luſiſſes in Pontificem, eiuſq; reformationem carpſiſſes, tranſis tandem ad Ieſuitas, & aſſeris eos: *Præcipuam culpam ſuſtinere perturbationũ omnium, quibus orbis Europæus concutitur, vt qui ſibi primas arrogent in ſupradictorum conſiliorum executoriali praxi, vſq; adeò, vt ſi vni Ieſuitæ non eſſent, nos aut turbas eiuſmodi nullas habituros, aut multò facilius eaſdem ſopituros.* Quaſi verò antequam Ieſuitæ extitiſſent, orbis Chriſtianus ab omni rerum perturbatione immunis fuerit, nullos etiam patria noſtra tumultus, aut bella inteſtina habuerit. Fuerunt illa ſeculis omnibus, homo impudentiſſime; & ſicut abſq; Ieſuitis oborta & compoſita fuêre, ita abſq; iiſdem nunc quoque oboriri poſſunt & ſolent: cùm omne ſeculum Syllas, Marios, Sertorios ferat. Nihil hîc ſibi vendicant Ieſuitæ, nihil arrogant. At tu vt hæc de illis faciliùs imponas omnibus, polliceris audacter, pro tua impudentia, te id ad oculum planè demonſtraturum, totamq; rationem huius inſani conſilij tui ad quatuor capita reuocas. Nimirum: *Primò, inſtituti Ieſuitici, ſi per ſe conſideretur, eam eſſe rationem, vt liberæ Reipub. valde inimicum & aduerſum, libertati verò Polonicæ inprimis formidandum ſit. Deinde, viuis id exemplis aliquot oſtenſurum te promittis, quàm periculoſe ſecta hæc ſtatum politicum hinc inde per Europam turbarit. Tertiò, obiectiones omnes vt ſoluas, in te recipis. Quæ vbi à te demonſtrata fuerint, quartum ſua ſponte ſubſecuturum affirmas; nempe iis qui Rempub. ſaluam cupiunt, præcipuam operam dandam eſſe, vt*

Ieſuitæ nullius tumultus auctores.

Partitio Cõſilii anonymi.

Digitized by Google

Ieſuitæ & Ieſuitiſmus, extra Regnum eliminentur. Grandia ſunt hæc prorſus quæ proponis & promittis; ſed quantum à longe proſpicere poſſum, parturient iterum atq; iterum montes, atq; fœtum aliquem ridiculum toti orbi ſpectandum edent. Agedum, perge exoluere fidem tuam, & quod tam ingenti auſu occepiſti, re ipſa & rationibus comproba. Ego tuis veſtigiis inhærebo, & eodem ordine te tuaſq; ſtramineas demonſtrationes perſequar; & ita diſcutiam Deo adiuuante, vt leuiſſimas eſſe paleas & tenuiſſimas aranearum telas omnibus teſtatum faciam.

ARTICVLVS VI.

Quænam ratio regiminis & diſciplinæ apud Ieſuitas ſeruetur.

IN primo huius Morologi Conſilij tui capite, tria conſideranda tibi proponis. Ipſam ordinis Ieſuitici politiam; finem ad quem tendit; operationem ſiue praxin per quam hunc finem aſſequi conatur. Politiam huius Ordinis ex tribus conſtare affirmas; nimirum Monarchica adminiſtratione, ſeu capitis vnius regimine, à quo omnes dependeant: eiuſdem capitis ad Romanam vrbem vel curiam adſtricta reſidentia: & forma diſciplinæ arctiùs conſeruata. Et in his tu quidem non penitus ineptè ratiocinari alicui videri poſſes, niſi quòd dum ſingula explicas, in ſingulis vel hallucinaris craſſiſſimè, vel impudentiſſimè mentiris. Nam quod inprimis aſſeris regi Ieſuitas ab vno Generali, id quidem magna ex parte ita ſe habet, non ita tamen intelligitur, vt abſolutum prorſus dominium, (nullis prorſus limitibus circumſcriptum) quale tu affingere prætendis, admittat. Neq; enim Ordo hic omnimodam Generali poteſtatem permiſit, quin & conſiliis locum reliquerit, & aliquam ſibi auctoritatem retinuerit præſcribendi & moderandi quædam, tum circa ipſum Generalem, tum circa alia nonnulla, prout Conſtitutiones ipſorum apertè declarant. Deinde quod ais Generalem cogi, vt Romæ perpetuò reſideat, id falſum eſt omninò. Etſi enim Romæ potiſſimum reſidere ſoleat, non ita tamen ad id obſtrictus eſt, quin neceſſitate & ratione ſuadente, alibi etiam degere aliquando poſſit. Degit autem Romæ communiter, non eam ob cauſam, quam tu tibi fingis, vt afflatu Romani Conſiſtorij dirigatur (quanquam hæc etiam vna cauſa honeſtiſſima eſſe poſſet, regi ſemper & dependere à Sapientiſſimo orbis Chriſtiani Senatu) ſed vt ex Vrbe illa, quæ centrum quoddam

Generalis Ieſuitarum cum qua poteſtate ordini præſideat.

Generalis Ieſuitarum cur Romæ potiſſimū reſideat.

Digitized by Google

quoddam & emporium eſt nationum omnium; faciliorem & commodiorem inire poſſit rationem communicandi cum ſuis omnibus, per diuerſa Regna & Prouincias ſparſis. Hæc vera & vna cauſa eſt reſidentiæ ipſius Romanæ. Poſtremo loco ad Politiam Ieſuitarum refers, diſciplinæ formam, quam fateris eſſe arctiſſimam, & cum cœca quadam obedientia coniunctam; neq; eam ipſe improbas, ſed mendacio tandem apertiſſimo inuoluis & contaminas, vt ex illorum numero te eſſe oſtendas, de quibus Pſaltes: Qui laudabant me, aduerſum me iurabant. *Pſal: 101.* Cœcam enim illam obediētiam ita interpretaris, vt minoribus in nulla maiorum vel abſurdiſſima imperia inquirere liceat, nedum vt aliquis ea detrectare auſit. Rectè ſanè Cic. Qui ſemel, inquit, verecundiæ fines tranſierit, eum bene & gnauiter oportet eſſe impudentem. Itanè tu quoque perfrictæ frontis es, vt affirmare audeas, Ieſuitas ad abſurdiſſima quæq; ſuorum maiorum mandata, quantumuis cum lege Diuina & ratione pugnent, exequenda paratos eſſe? Atqui illi ſuperiores quidem ſuos, Dei vices gerentes, vt par eſt, venerantur; norunt tamen cum Apoſtolis obedire magis Deo quàm hominibus, & verbis diſertis in ſuis conſtitutionibus profitentur, obedientiam ſuperioribus reddi oportere in omnibus rebus, vbi non cerneretur peccatum. Fundator etiam ipſorum, in ſuam quandam epiſtolam, qua omnes ad perfectam obedientiam exhortatur, illa verba D. Bern. tranſtulit: ſiue Deus, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcunq; tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Et certè ſi abeſſet etiam exceptio huiuſmodi, ratio ipſa perſuaderet, non fuiſſe eam mentem illorum, qui primi leges huic Ordini dederunt, vt aliquid contra Deum Opt. Max. cui ſe totos conſecrarant, ſuis imperare Dei nomine auderent; & exigere quod aut vires excederet, aut cum ratione pugnaret; quale eſſet cœlum aratro findere, maria ſternere, alpes complanare. Hæc enim & id genus alia non niſi ſtulti imperare ſolent, & qui nullum certum ſibi finem proponunt. Quod tu de Ieſuitis affirmare nō audes, qui tam multa prudētiæ & induſtriæ illorum veſtigia, velis nolis, agnoſcere cogeris.

Ieſuitarum obedientia erga ſuperiores qualis.

Tract. de Prae: & diſpenſat.

ARTICVLVS VII.

Generalem Ieſuitarum aliis de cauſis, quàm anonymus putat, Romæ reſidere, & nihil cum Hiſpanico regimine commune habere.

Digitized by Google

gaudent hoc priuilegio alij etiam pleriq;. Deinde ſuæ exemptionis prærogatiua vtuntur citra vllius præiudicium; ideoq; vbi res & neceſſitas poſtulat, vtriq; illi foro ſeſe ſiſtere, vtriq; quicquid ei iure competit tribuere ſolent. Quod quotidiana experientia docet clarius, quàm vt probari indigeat: vt demirari ſatis nequeam tuam in mentiendo audaciam, & impudentiam inſignem. Qua etiam fretus, in eadem baſi tua nec non in ſequentibus duabus (vt pariter omnes eadem opera euertam) aſſeris impudenter, ſuperiores Ieſuitarum, plerumq; Hiſpanos vel Italos eſſe; nunquam ex indigenis ad præfecturas & dignitates eligi, niſi " ex Hiſpanis vel Italis, aut ſaltem iis qui ex Anglia, Gallia, propter faci- " nora aliqua profugerunt, & ob nimium erga Hiſpanos ſtudium ex præ- " dictis Regnis proſcripti ſunt. Hic tu omnia planè repagula pudoris, " omnibus alioquin à natura inſiti, abrupiſti Luce enim meridiana cla- " riùs conſtat, Superiores & Rectores omnes, tum Prouinciarum, tum Collegiorum, quotquot in Regno Poloniæ extant, Polonos vel Lithuanos, aut Prutenos, Regis Poloniæ ſubditos eſſe, Italum & Hiſpanum neminem prorſus, ad clauum Domus vel Collegij reperiri; nemo eſt inter omnes ex Gallia & Anglia profugus aut proſcriptus. Eſt quidem inter eos Iacobus Boſgrauius Anglus, vir à pietate & eruditione multis noſtratibus notus, qui ante annos viginti quatuor circiter in Anglia captiuus detentus fuerat. At is poſt varias quæſtiones & tormenta, ſibi propter fidem tantùm Catholicam illata, interceſſione & auctoritate interpoſita Sereniſſimi Regis Poloniæ Stephani Battorei, liber dimiſſus tandem in Poloniam venit, viuitq; in hunc vſque diem. Sed neq; tu nomen alicuius certum prodere auſus es, ne te ipſum proderes, cùm apertiſſimi mendacij illico argui poſſes: vel certè quòd metueres, ne probata innocentia delati, à te pœnam talionis & infamiæ depoſcerent. At ego te omni hoc metu infamiæ liberaſſem, fama enim vera ſemel duntaxat amittitur, tu verò tuam tot aliis calumniis & impoſturis tuis omnẽ iam pridem perdidiſti, & decoxiſti prorſus, vt amittere eam denuò non poſſis. Poſtremam deniq; baſin tuam vt accommodes magis, nouo eam mendacio ſuffulcis. Ais enim, Seniores & Rectores Ieſuitarum nullo deligi ex nobilium ordine, plerunq; plebeios adſciri. Apparet te vel ignarum eſſe omnino rerum, quæ inter Ieſuitas geruntur, & cæcum de coloribus diſſerere; vel, ſi forte eas perſpectas habeas, nihil aliud perfricta fronte moliri, quàm vt prægnãtem

Ieſuitæ in Polonia, Collegiis & Domibus ſuis vel Polonos vel Regni Poloniæ ſubditos præficiunt.

menda-

mendaciis mentem identidem exoneres,& Ieſuitis omnẽ apud omnes inuidiã confles. Sed tuam hîc inprimis mentiendi licẽtiam redarguent tot teſtes,quot ad oculũ in præcipuis quibuſq; domibus & Collegiis Ieſuitarũ Superiores & Præfectos, nobili ortos proſapia,Poſnaniæ,Leopoli, Lublini,Torunij,Sendomiriæ, aliiſq; pluribus locis quotidie intuẽtur. Sed & præter hos qui Rectorum & Præfectorum munere perfunguntur, videre licet inter eos etiam alios plurimos, viros maturos & adoleſcentes,generis nobilitate conſpicuos,adeò vt ex omnibus Palatinatibus Regni, nullum prorſus ſciam, ex quo non aliqui reperiantur in album illorum adſcripti. Tu ipſe anonyme, ſi aliquando illud aſpiceres,reperires certè multos, qui non tantùm ex Equeſtri,ſed ex ipſo ordine Senatorio ampliſſimo, ſanguinis ſui originem ducunt: reperires nomina Mieleciorum,Rozrazeuiorum, Kriſciorum, Vlcanouiorum, Tiskieuiciorum,Koſtkarum,Radziminiorum,Warſzeuiciorum,Ciernakouiorum, Bikouiorum, Garuaſciorum, Oſſoliniorum, Voluciorum, Rudniciorum, Stephanouiorum, Bobolarum, Roſciſzeuiorum, Oborſciorum, Viſociorum, Grotorum, Porembſciorum, & aliorum eiuſdem conditionis & generis plurimorum,quorum aliqui iam vitam præſentem cum futura commutarunt,alij viui adhuc maxima ex parte ſuperſunt, & in oculis omnium verſantur. Hos tu ſi Nobiles eſſe neges, negaueris ſimul etiam familias illorum ad nobilitatem pertinere. Neque enim arctiſſimum ſanguinis vinculum, quo eos natura coniunxit, eo nomine abrumpi & diſſolui poteſt, quòd in ſortem Dei adſcripti ſint; alioquin pari ratione excluderes à nobilitate Antiſtites & Prælatos omnes, vt quid ergo Senatoria occupant loca? vt quid ad ſuprema tribunalium iudicia leguntur? cur in legationibus & negotiis publicis tam frequens eorum opera adhibetur? An verò qui Societati nomina conſecrauere ſua,nõ poterant idem quod & illi eſſe?Ideonè quòd ſe negotiis publicis non immiſceant, etiam nobiles eſſe deſinent, & eorum conditio,cognatorum & affinium ſtatu erit deterior? Non amittitur Cleri ſorte Nobilitas,neq; Nobilitati Cleri ſors quippiam præiudicat;reſpondent iſta ſibi inuicem pulcherrimè,& ſe inuicem ornant apud Catholicos. Inter eos tantùm qui extra Catholicorum numerum ſunt, hæc ſibi inuicem repugnant. Idcirco grauiter erras anonyme,ſi Cleri Catholici ſtatum & conditionem metiris iudicio hæreticorum tuorum, apud quos probroſum habetur, ſi quiſpiam prædicans pro

Ieſuitarũ Rectores & Præfecti plerique nobiles.

Ieſuitæ multi nobilitate conſpicui.

Nobilitas non repugnat ſorti Cleri.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA ANATOMIÆ.

In qua confutantur ea, quæ anonymus Conſiliarius, ad modum Prolegomenorum, ante Propoſitionem præmittit.

ARTICVLVS I.

In quo oſtenditur anonymum, meritò Diogeni Cynico comparatum.

ORditur telam ſuam anonymus impoſtor, & primo Morologiæ ſuæ ingreſſu, vt ſibi lectoris animum conciliet, confert & comparat ſeſe cum Diogene Cynico. *Nam, vt ille inquit, cùm aliquando Athenienſes videret in publico periculo concurſare, & arma pro defenſione patriæ comparare, ne in publica illa ſolicitudine ſolus nihil ageret, armis alioquin tractandis per ſenectutem minùs idoneus, dolium, in quo ex inſtituti ſui more habitare conſueuerat, ſurſum deorſumq́; voluere cœpit.* Pari zelo & ſtudio, ipſe Diogenem imitatus, hunc laborem ſcribēdi contra Ieſuitas, licet non omnium maximè idoneus, ſibi ſumpſit, vt auxilium aliquod patriæ laboranti afferret. Pulcherrima ſanè comparatio, ſed quæ ipſo ſtatim ingreſſu pulcherrimè claudicare incipit, dum Diogenem Cynicum Athenis voluiſſe dolium illud adſtruit. Non enim Athenis, ſed Corinthi id factum grauiſſimi auctores & hiſtorici referunt. Quare accidit anonymo huic, quod olim Balaamo pſeudoprophetæ acciderat: qui cùm animo maledicendi populo Dei electo, ad Balac regem pergeret; ipſo ſtatim itineris ingreſſu à via declinare cœpit. Hoc verò errore vno dempto, non ineptè prorſus ſe cum Diogene Cynico comparat. Videbat enim vitam & mores ſuos ſimillimos eſſe Diogeni illi, homini turpiſſimo ac deliro ſeni, & qui non tantùm ipſe multis ſcatebat vitiorum turpitudinibus, ſed aliis

Diogenis cum Anonymo comparatio.

Conrad. Lycoſten.
Guid. Bitur.

Num: 22.

quoque ad eaſdem ſequendas ducem & auctorem ſeſe exhibebat. Ita hic noſter rediuiuus Diogenes, conſiderare volens vultum natiuitatis & conuerſationis ſuæ, tanquam in ſpeculo, neminem ex omni turba Philoſophorum reperire potuit, præter Diogenem Cynicum, in quo veriorem animi ſui imaginem contemplaretur. Nec tam bene refert ſimia ſimiam, aut coruus coruum, quàm conſiliatorem hunc anonymum Diogenes. Dicet fortaſſis, ſe in ea comparatione non tam vitæ, quàm operis cuiuſdam Heroici, cuius Diogenes in adiuuanda Republica egregium ſpecimen edidiſſet, rationem habuiſſe. Eſto. Demus illi id gratis, ne fortè ipſo ſtatim huius concertationis noſtræ ingreſſu, confuſus animo concidat: ſed expendamus ſaltem, quam inde laudem ſibi comparauerit, dum ſe in ſuſcepta contra Ieſuitas ſcribendi prouincia, imitatum eſſe iactat Diogenem, qui cùm aliud non poſſet, dolij reuolutione, patriæ labenti ſuccurrere conabatur Atqui eandem planè gloriam conſecutus videtur, quam Diogenes ipſe homo ſtultiſſimus, qui inani illo conatu ſuo, ridendum ſe potiùs quàm laudandum omnibus propinauit. Etenim hoc ipſo, quòd nullam aliam rationem adinuenire potuit ſuccurrendi Reip. periclitanti, quàm per reuerſationem dolij vnius; inopem ſe ab omni conſilio inutilemq; patriæ declarauit: ſtultè ambiuit tam vili opera cooptari in numerum reliquorum ciuium, qui ſanguinem & vitam profundere pro eadem patria parabant. Nec minus inſipientem laborem ſubiit, vt quem nullam opem allaturum Reip. perſpiciebat. Hunc eundem cum Diogene ſtultitiæ funem trahit anonymus iſte noſter: ſiquidem ad inſtar illius, periclitanti patriæ, quando ciues reliqui armis & conſiliis pro ea decertabant, nil aliud præſtare potuit, quàm vt dolium vnum inane verſaret Nec animaduertit homo ineptiſſimus, ſe hac ratione ſuamq; inopiam denudare, & ridendam aliis exponere; fruſtra nomen & gloriam reliquorum ciuium pro patria laborantium ambire, fruſtra deniq; & nullo prorſus effectu, opus ridiculum moliri, & agendo nihil agere. Ieſuitæ enim, quorum exilia, mortes, pericula ſibi propoſuerat, ne latum quidem vnguem ſuo moti ſunt loco; omnia illis integra, omnia manſere intacta: imo ſtatu etiam aliquanto meliore, vt potè quem innocentia ipſorum, poſt ſedatam patriæ tempeſtatem, magis magiſq; patefacta, illuſtriorem reddidit. Vt vel hinc conſtet Ieſuitarum ordinem, eſſe veram ac germanam portiunculam Eccleſiæ Chriſti, de qua ſic Hila-

Digitized by Google

ſic Hilarius: Hoc habet illa proprium; dum perſecutionem patitur, floret; dum opprimitur, creſcit; dum contemnitur, proficit; dum cæditur, vincit; dum arguitur, intelligit; tunc ſtat, cùm ſuperari videtur. Quare Diogenis iſte imitator, Diogenem hac quidem ex parte conſecutus videtur. Quemadmodum enim ille, verſando dolium ſuum ſordidum & inane, patriæ nihil profuit: ita hic quoque noſter, verſando libellum illum famoſum ſordibus calumniarum & mendaciorũ ſcatentem, ad exilia & mortes Ieſuitarũ à ſe deſignatas, contulit nihil, niſi quòd à Diogene in vno ſuperatus omnino eſt. Siquidẽ Diogenes qualẽqualem illam opellam ſuam, in publico tamen patriæ theatro oſtendit, neminem latere voluit, ſe ſpectandũ omnibus ingenuè exhibuit: At hic noſter Diogenis æmulus neſcitur, quo ex antro ſpecuué prodierit; nobiliſné ſit, an è fæce plebis aliquis opilio; Hæreticus an Catholicus; an verò ex vtroque permixtus, vt ſemibouemué virum, ſemiuirumuébouem repræſentet. Homo quippe obſcurus, laruam & zelum boni ciuis ementitus, nomen ſuum ſuppreſſit, indignum planè quod in oculos vel aures bonorum incurreret, & cuius meritò illum puduerit, ſicut pudere ſolet turpitudinis bubones & noctuas, quæ nocte per obſcura vagantur, ne à cæteris volucribus aut hominibus conſpiciantur. Ad hunc planè modum tenebrio iſte lucem fugit, & cùm latere ipſe quàm maximè cupiat, ne agnoſcatur neué impugnetur, nomen tamen ſuum calumniis & mendaciis celebre per ſcelus, cùm per virtutem non poſſit, ad poſteritatem, cum Heroſtrate illo qui Dianę templum incenderat, propagare cupit. Et quidem hanc occultandi nominis artem in ſcholis Caluiniſtarum didiciſſe videtur, quibus iſtud fraudis genus familiare eſſe ſolet, vt libros ſine certo nomine edant. Meminit doli huius Schluſſelburgius Lutheranus, illumq; duodecim rationibus ſat efficacibus impugnat, & exprobrat Caluiniſtis, quas ego hîc breuitatis cauſa omitto. Venio ad alia, quæ idem noſter Diogenes rediuiuus, contra Catholicos omnes, tum maximè contra religioſos ordinis Societatis IESV deblaterat.

Anonymi labor inanis.

Caluiniſtarum dolus in edendis absq; nomine auctoris libris.

Lib: 2. de Theolog: Cal. cap: 7.

ARTICVLVS II.

Probatur anonymum imparem humeris ſuis prouinciam in Ieſuitis oppugnandis ſibi ſumpſiſſe.

 Poſtquam

POſtquam Diogeni ſe comparauit, & rationem ſimilitudinis expoſuit, concludens exordium illud ſuum, ſic ait: *Ego igitur qui corpore hactenus, per Dei voluntatem, quàm minimum valeo, vt ea ſaltem meî parte quæ adhuc mediocriter viget, Reipub. præſtò ſim, hunc ipſum laborem in me recipere decreui; non quòd ad id maximè omnium idoneus ſim, ſed quòd aliud in præſentia efficacius auxilium patriæ præſtare nequeam.* Ego verò mi Diogenes vt libenter concedo, corpus tibi ſupereſſe delictis iuuentutis fractum, ita animi tui vigorem nullum prorſus, nedum mediocrem, deprehendere poſſum, niſi illum vigorem intelligas, quo homines etiam improbiſſimi vigent, dum ſeſe in calumniis, mendaciis, & impoſturis excogitandis exercere ſolent. Deinde miror, quid tibi in mentem venerit, vt laborem hunc tuis humeris adeò imparem ſumpſeris, non modo non maximè idoneus, ſed ineptiſſimus omnium; ſtultiſſimè tibi perſuadens patriæ extremùm fluctuanti, nullum aliud remedium præſtari potuiſſe, quàm ſi nouas procellas excitares, nouiſq; diſſidiis & odiis inteſtinis eam perturbares. O te ciuem ſapientem, & nauarchum peritum, dignum, non qui ad puppim ſedeat, & clauum Reipub. teneat, ſed qui claua benè pulſatus, ſentinæ exhauriendæ præſit. Sed pergis tandem, & duo te potiſſimùm in hoc tuo Conſilio Cynico præſtiturum promittis. *Primò, quæ ſit flammæ vorantis patriam potiſſima materia: tum qua ratione extingui poſſit.* Vir magnus eris, inter Prutenos tuos ſaltem, ſi hæc præſtiteris; ſed parturient tandem hi tam magnificarum tuarum promiſſionum montes, & enatus ridiculus mus, te omnibus ridiculum oſtendet. Deinde conuerſo ad Proceres ſtylo, te aliquid eorum iudicio dignum allaturum diffidis. *Plenus autem ſpe (fore exiſtimas) vt aliquid ſaltem ex hoc quiſquiliarum aceruo granorum colligant. Vtcunq; autem res cadet, mihi* (inquis) *ſufficiet, ſi vel inane dolium verſando, Reipublicæ ſi non operam, affectum ſaltem probem.* Meritò ſanè diffidere potuiſti, te nihil tantorum virorum iudicio dignum allaturum, cùm ne homine dignum quippiam attuleris, ac ne hominẽ quidem egiſſe videris, ſed lupum. Nam vt lupus vlulas, cuſtodes ac operarios vineæ Domini Sabbaoth allatras & mordes; & quemadmodum lupus caulam ingreſſus, non eſt contentus oue vna ad famem ſedandam, ſed omnium iugulum petit; ita tu quoque fame accenſus ſeu rabie quadam, non es contentus vnius familiæ Chriſti ſugere ſanguinem, ſed omnes etiam Eccleſiaſticos ordines, atq; adeò ipſum Summum Pontificem Principem Paſtorum vnà cum tota

Labor Anonymi ſtultus.

Anonymus lupo ſimilis.

Digitized by Google

Eccleſia Catholica ſugillas. Illud verè à te, quòd opus hoc Conſilij tui Cynicum, aceruum quiſquiliarum appellaueris. Verè enim acerui cuiuſdam inſtar eſt, nullis rationũ nexibus colligati, & qui ſcopis tantum diſſolutis & ſaxis malè coaceruatis conſtet. Verè quiſquilias appellas, quæ ſordes tantùm calumniarum & mendaciorum redoleant. At erras grauiter, cùm ex quiſquiliis gemmas colligi poſſe exiſtimas. Nam ſicut ex ſpinis non leguntur vuæ, Chriſto atteſtante; ita neq; gemmæ in quiſquiliis, niſi fortè te ſolo dignę reperiuntur, quæ octauo ſapiente dignum caput tuum exornent. Sed neq; tu ipſe magna ex iſtis tuis quiſquiliis ſperas, vel hoc vno contentus, quòd inane dolium in gratiam patriæ verſaueris. Quantò conſultiùs feciſſes, ſi dolium aliquod non vacuum & inane, ſed muſto Vngarico aut Rhenano, reſinauè Gedanenſi plenum verſaſſes; extinxiſſet in te, mihi crede, inſanam ſitim tuam, quæ te non tam ad bibendum, quàm ad hauriendum largiter, ſolicitare quotidie ſolet, ademiſſetq; omnem Reip. anxiam & importunam curam; exhilaraſſet frontem, atq; os & linguam titubantem in illud pulcherrimum Pacuuianum laxaſſet, βεβιόκε βεβιόκε. Sed progrediamur paulatim in tua tecum, quam vocas commentatione, in qua tam multa commentus es, à ratione & veritate aliena. Matth: 7. & 17.

ARTICVLVS III.

Anonymum imperitum medicum & conſiliarium, ad medenda Reipub. vulnera acceſſiſſe.

POſtquam ſatis conciliaſſe animos Procerum tibi viſus es, repentè ſicut Polypus alter, ex conſiliario in medicum commutatus, ad inueſtigandos morbos Reipub. & cauſas illorum te confers. Sed qualem conſiliarium, talem & archiatrium te exhibes. Conſiliarius es temerarius & ſtultus, vt potè qui à nemine accerſitus ad conſilium dandum, te vltrò & impudenter ingeſſeris, immemor dicti cuiuſdam Sapientis: Ad conſilium niſi vocatus non acceſſeris. Quaſi verò patria noſtra abſq; te, Conſiliariis viris prudentibus, vſu & experientia rerum clariſſimis caruerit, qui meliùs morbos Reip. & cauſas, ac remedia illorum videant. Quid ſtultius à te vel cogitari potuit, quàm vt exiſtimares à te, homine priuato & rudi, ſalutem Reip. dependere oportere; cùm ea præſertim ſuggereres, quæ ſcopum à te præfixum nulla ratione *Anonymus conſiliarius ſtultus.*

attingere potuerint, prout euentus ipſe comprobauit. An non meritò te in numerum illorum conſiliariorum retulerim, quos Iobo teſte,
Iob 12. Deus adducit in ſtultum finem. Imò meritiſſimè, cùm eum tibi ſcopum præfixeris, quem attingere, vel nullo vnquam modo, vel ſine noua eaq; longè grauiſſima perturbatione patriæ, iam tum ſatis afflictæ,
Anonymus medicus imperitus. non poſſes. Atq; ſimilem planè conſiliario medicum agis, hoc eſt temerarium & ineptum. Qui enim nunquam hanc medendi artem didiceris, nullum vnquam Reipublicæ munus (aſinus ad lyram ſemper iudicatus) obieris, nullum vulnus tractaueris; audes de morbis illius omnibus,& cauſis ac remediis eorum, cœcus de coloribus iudicare. O te imperitum, temerarium & crudelem Æſculapium, qui à nemine inuitatus, nullo rerum vſu præſtans, nulla ſcientia præditus, audes chariſſimæ patriæ manus admouere ſacrilegas, vt primùm rudium ſpeculationum tuarum experimentum in ea capias, & cum tanta iactura ſalutis ipſius, totq; ciuium tuorum quos in illa vna enecaueris, nomen & laudem archiatri tibi quæras. Apage miſer, & teipſum primò helleboro procura, cogitationem patriæ curandæ abijce; quæ ſi morbo aliquo laborat, tua certè ope nulla eget. Habet illa peritiores te medicos, habet Senatores grauiſſimos, habet ex ordine Equeſtri viros peritos, qui longo vſu & experientia edocti, prouidere & curare meliùs omnia norunt: tu ſi maculam illis porrexeris, ſatis honoratus abibis. Porrò illud multò etiam magis in te quis miretur, quòd cùm is ſis, quem paulò ante ſuis coloribus depinxi, audeas tamen, non modò ingerere te ad curam Reipublicæ noſtræ, ſed etiam orbis totius Chriſtiani ſtatum diſcutere, & inueſtigare cauſas malorum omnium ſeculi huius noſtri, vt te vniuerſalem quendam cenſorem, qui de omnibus rebus mundi totius iudicium ſuum interponat, omnes intelligant & rideant. Et non aduertis homo ſtolidiſſime, quod ipſi abecedarij aduertere poſſunt, omnia à te inprimis dici gratis, deinde ſcatere tantùm calumniis, & adornari mendaciis innumeris: quæ ſi refutari deberent
Anonymi mendacia. ſingula, paginæ ipſæ Calepini, ſcripta non caperent. Talia ſunt, quæ de Pontifice Summo confingis, & impudenter aſſeris, quod nihil aliud ſibi proponat, quàm extendere imperium ſuum ſupra ſtatus omnes politicos & ſpirituales, & quòd in eum finem conciliationes Principum Chriſtianorum procuret: quòd reformationem cleri fraudulenter inſtituat: quòd mediis ad eam turbulentis vtatur: quòd ad vnam famili-

am Au-

„ am Auſtriacam ſplendorem omnem & monarchiam transferre adnitatur. Hæc & his ſimilia, quæ à te nullis rationum ſubnixa præſidiis effutiuntur gratis, ſufficienter confutantur ſi negentur gratis, donec à te comprobata fuerint. Quod ad Græcas Kalendas à te factum iri non dubito.

ARTICVLVS IIII.

Anonymum fingere conſilia quædam ſecretiora Principum Catholicorum, & falſò affingere Concilio Tridentino perturbationem Europæ.

ILlud autem ex omnibus iſtis primùm colligo, te quiſquis es, & qualemcunq; te in hac ſcæna ſimules & fingas, hominem vel apertè hæreticum, vel quod in idem penè recidit, Machiauelliſtam eſſe, hoc eſt Cleri omnis Catholici iuratum hoſtem, qui ſub hac ouina pelle zeli, pro patria & pace Eccleſiæ dentes lupi exeris: vt deinceps minus mireris, ſi te pro tua conditione tractari à me ſentias. Deinde fateor me, ſine riſu duo illa in tuis iſtis quiſquiliis legere non potuiſſe. Alterum eſt, quòd aſſeras illos omnes conatus Summi Pontificis ſecretò cum Principibus Chriſtianis conferri, & diſponi ad eum quem ſibi præfixit finem. Et verò tu, quomodo ad arcana iſta tantorum Principum Chriſtianorum conſilia penetraſti? per quas rimas illa exploraſti, cùm nullius Principis Chriſtiani ne bubulcus quidem ſis, nedum conſiliarius aut ſecretarius? Quis tibi ſpiritus locutus eſt, vt ea tibi reuelaret? Abſens fortè corpore, ſpiritu autem præſens, etiam longè à te remota vides? Aut cum Eliſeo, regis Syriæ inſidias contra Regem Iſràël, ſolus perſpectas habes? Sapientior tu fortè Daniele, cùm omne ſecretum non ſit abſconditum à te? Quid tibi cum Paulo, Daniele, Eliſeo, à quibus tantùm abes, quantùm à luce tenebræ, Belial à Chriſto? Alterum eſt, quod tam audacter affirmes, omnium perturbationum Europæ occaſionem præbuiſſe, reformationem illã Cleri, quam ante annos 50. circiter (nimirum ſub tempus Concilij Tridentini) Pontifex inſtituit. Atqui mi homo, reformatio illa non modò Cleri, ſed populi Chriſtiani vniuerſi, opera quidem & ſtudio Summi Pontificis procurata eſt, ſed annuente & probante orbe Chriſtiano vniuerſo. Conuenerant enim vndique Eccleſiarum Præſides & Paſtores, aderant Principum

Anonymus hæreticus vel Machiaueliſta.

Ezech: 28.

Cleri reformatio per Concilium Tridentinũ facta, optima & legitima.

Chriſtia-

Chriſtianorum Legati: interfuêre plurimi alij viri, pietate & eruditione clariſſimi, & coniunctis animis, & ſtudiis, in eandem omnes morum correctionem conſpirarunt; & quicquid aut fidei Chriſtianæ, aut pietati repugnabat, improbarunt. Ecquam hinc diſſidia & ſimultates anſam habere potuerunt? Imò radicitus euulſa videri poterant, & locum dare optatiſſimæ cuidam vnioni inter Chriſti fideles, qui dum ad eandem omnes fidei, & morum normam inuitarentur, ſimul ad ſummam inter ſe pacem colendam inuitabantur. Diſſidiorum porrò omnium, ſi vera cauſa inueſtiganda eſt, nulla alia rei & veritati magis conſona reperiri poterit, quàm buccinatorum tuorum, qui Eccleſiam Catholicam impugnant, impietas & audacia. Hi enim, omnes penè Principes Chriſtianos cum ſuis ſubditis commiſerunt, cùm Principum poteſtatem & auctoritatem eleuarent, attollerent libertatem ſubditorum, eoſq; quaſi ſigno dato, ad omnem rebellionẽ excitarunt. Annon manifeſtè id teſtantur tot bella ciuilia, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Vngariæ, Flandriæ, Bohemiæ, Styriæ, Daniæ, Liuoniæ, Scotiæ, Heluetiæ, Morauiæ: in quibus omnibus quinam, obſecro te, alij niſi Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Arriani, Huſſitæ, ſubditi contra ſuos legittimos Principes pugnarunt, vt iugum illorum excuterent; auctoribus & incentoribus miniſtris, qui illis omnium iſtorum incendiorum facem prætulerunt. Audi, ſi placet, Lutherum, quintum Euangeliſtam tuum, quid in hoc genere ſcribat ad Spaletinum ſuum: *Scis*, inquit, *quòd ſi cuiuspiam opes perdendæ ſunt, Principum perdendæ ſunt, quòd Principem eſſe, & non aliqua ex parte latronem eſſe, aut non, aut vix poſſibile eſt: eoq; maiorem, quo maior Princeps fuerit.* Viſné etiam audire Caluinum, arrige aures, & excipe quid in Danielem ſcribat: *Hodie*, inquit, *vt omnes reges fatui ſunt & bruti; ita etiam ſunt quaſi equi & aſini brutorum animalium.* Et ibidem indignos cenſet, qui in album hominum referantur, non honorandos, ſed in facie ſputis complendos, mimos inſanos. &c. Theodorus Beza, Regem Galliarum ſathanam vocat; nec aliud frequentius in ore habuit, quàm libertatem Eccleſiæ Gallicanæ armis comparandam & conſeruandam eſſe. Sufficiuntné tibi hi duo vel tres teſtes tui, vt ex ore eorum comprobetur veritas quam aſſero? Si plures deſideras, lege libros integros hac de re ab illis editos, Alithiam, Sacrum Concilium, Epiſtolam Brutij, Homicidarum crepitum, Excitatorium Matutinum; in quibus omnibus argumentum hoc egregiè pertractant, & quid de

Diſſidiorũ omnium inter Chriſtianos, auctores miniſtri hæreticorum.

Hæreticorũ de principibus Chriſtianis ſententia.

Tom: 1. epiſt: 241.

In cap. 6. Dan.

Epi: 41.

Principum

Principum poteſtate ſentiant,ſat ſuperq; declarant. Quid tibi videtur? An non illi claſſica canunt, vt totum orbem conturbent, & ſubditos in ſuos Principes concitent? Hæccine tibi doctrina pacifica videtur & conformis Apoſtolicæ, quæ iubet vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit; & ſubditos obedire in omni timore dominis, non tantùm bonis, ſed etiam diſcolis? Tantum, crede mihi, doctrina illa tuorum preconum, ab hac doctrina Apoſtolica diſtat, quantum cælum à terra diſtat. Id ſi tu minus vides, cœcus prorſus es, qui tenebras quas palpare manibus potes, oculis cernere non potes. Sed pergamus tecum in tua Morologia. Rom: 13. 1. Per: 2.

ARTICVLVS V.

Ieſuitis nihil minus attribui poſſe, quàm perturbationem Chriſtiani orbis.

POſtquam multis verbis, verbis inquam non rationibus, luſiſſes in Pontificem, eiuſq; reformationem carpſiſſes, tranſis tandem ad Ieſuitas, & aſſeris eos: *Præcipuam culpam ſuſtinere perturbationũ omnium, quibus orbis Europæus concutitur, vt qui ſibi primas arrogent in ſupradictorum conſiliorum executoriali praxi, vſq; adeò, vt ſi vni Ieſuitæ non eſſent, nos aut turbas eiuſmodi nullas habituros, aut multò facilius eaſdem ſopituros.* Quaſi verò antequam Ieſuitæ extitiſſent, orbis Chriſtianus ab omni rerum perturbatione immunis fuerit, nullos etiam patria noſtra tumultus, aut bella inteſtina habuerit. Fuerunt illa ſeculis omnibus, homo impudentiſſime; & ſicut abſq; Ieſuitis oborta & compoſita fuêre, ita abſq; iiſdem nunc quoque oboriri poſſunt & ſolent: cùm omne ſeculum Syllas, Marios, Sertorios ferat. Nihil hîc ſibi vendicant Ieſuitæ, nihil arrogant. At tu vt hæc de illis faciliùs imponas omnibus, polliceris audacter, pro tua impudentia, te id ad oculum planè demonſtraturum, totamq; rationem huius inſani conſilij tui ad quatuor capita reuocas. Nimirum: *Primò, inſtituti Ieſuitici, ſi per ſe conſideretur, eam eſſe rationem, vt liberæ Reipub. valde inimicum & aduerſum, libertati verò Polonicæ inprimis formidandum ſit. Deinde, viuis id exemplu aliquot oſtenſurum te promittis, quàm periculoſe ſecta hæc ſtatum politicum hinc inde per Europam turbarit. Tertiò, obiectiones omnes vt ſoluas, in te recipis. Quæ vbi à te demonſtrata fuerint, quartum ſua ſponte ſubſecuturum affirmas; nempe iis qui Rempub. ſaluam cupiunt, præcipuam operam dandam eſſe, vt*

Ieſuitæ nullius tumultus auctores.

Partitio Cõſilii anonymi.

Digitized by Google

Ieſuitæ & Ieſuitiſmus, extra Regnum eliminentur. Grandia ſunt hæc prorſus quæ proponis & promittis; ſed quantùm à longe proſpicere poſſum, parturient iterum atq; iterum montes, atq; fœtum aliquem ridiculum toti orbi ſpectandum edent. Agedum, perge exoluere fidem tuam, & quod tam ingenti auſu occepiſti, re ipſa & rationibus comproba. Ego tuis veſtigiis inhærebo, & eodem ordine te tuaſq; ſtramineas demonſtrationes perſequar; & ita diſcutiam Deo adiuuante, vt leuiſſimas eſſe paleas & tenuiſſimas aranearum telas omnibus teſtatum faciam.

ARTICVLVS VI.

Quænam ratio regiminis & diſciplinæ apud Ieſuitas ſeruetur.

IN primo huius Morologi Conſilij tui capite, tria conſideranda tibi proponis. Ipſam ordinis Ieſuitici politiam; finem ad quem tendit; operationem ſiue praxin per quam hunc finem aſſequi conatur. Politiam huius Ordinis ex tribus conſtare affirmas; nimirum Monarchica adminiſtratione, ſeu capitis vnius regimine, à quo omnes dependeant: eiuſdem capitis ad Romanam vrbem vel curiam adſtricta reſidentia: & forma diſciplinæ arctiùs conſeruata. Et in his tu quidem non penitus ineptè ratiocinari alicui videri poſſes, niſi quòd dum ſingula explicas, in ſingulis vel hallucinaris craſſiſſimè, vel impudentiſſimè mentiris. Nam quod inprimis aſſeris regi Ieſuitas ab vno Generali, id quidem magna ex parte ita ſe habet, non ita tamen intelligitur, vt abſolutum prorſus dominium, (nullis prorſus limitibus circumſcriptum) quale tu affingere prætendis, admittat. Neq; enim Ordo hic omnimodam Generali poteſtatem permiſit, quin & conſiliis locum reliquerit, & aliquam ſibi auctoritatem retinuerit præſcribendi & moderandi quædam, tum circa ipſum Generalem, tum circa alia nonnulla, prout Conſtitutiones ipſorum apertè declarant. Deinde quod ais Generalem cogi, vt Romæ perpetuò reſideat, id falſum eſt omninò. Etſi enim Romæ potiſſimum reſidere ſoleat, non ita tamen ad id obſtrictus eſt, quin neceſſitate & ratione ſuadente, alibi etiam degere aliquando poſſit. Degit autem Romæ communiter, non eam ob cauſam, quam tu tibi fingis, vt afflatu Romani Conſiſtorij dirigatur (quanquam hæc etiam vna cauſa honeſtiſſima eſſe poſſet, regi ſemper & dependere à Sapientiſſimo orbis Chriſtiani Senatu) ſed vt ex Vrbe illa, quæ centrum quoddam

Generalis Ieſuitarum cum qua poteſtate ordini præſideat.

Generalis Ieſuitarum cur Romæ potiſſimũ reſideat.

Digitized by Google

quoddam & emporium eſt nationum omnium; faciliorem & commodiorem inire poſſit rationem communicandi cum ſuis omnibus, per diuerſa Regna & Prouincias ſparſis. Hæc vera & vna cauſa eſt reſidentiæ ipſius Romanæ. Poſtremo loco ad Politiam Ieſuitarum refers, diſciplinæ formam, quam fateris eſſe arctiſſimam, & cum cœca quadam obedientia coniunctam; neq; eam ipſe improbas, ſed mendacio tandem apertiſſimo inuoluis & contaminas, vt ex illorum numero te eſſe oſtendas, de quibus Pſaltes: Qui laudabant me, aduerſum me iurabant. *Pſal: 101.* Cœcam enim illam obediētiam ita interpretaris, vt minoribus in nulla maiorum vel abſurdiſſima imperia inquirere liceat, nedum vt aliquis ea detrectare auſit. Rectè ſanè Cic. Qui ſemel, inquit, verecundiæ fines tranſierit, eum bene & gnauiter oportet eſſe impudentem. Itane tu quoque perfrictæ frontis es, vt affirmare audeas, Ieſuitas ad abſurdiſſima quæq; ſuorum maiorum mandata, quantumuis cum lege Diuina & ratione pugnent, exequenda paratos eſſe? Atqui illi ſuperiores quidem ſuos, Dei vices gerentes, vt par eſt, venerantur; norunt tamen cum Apoſtolis obedire magis Deo quàm hominibus, & verbis diſertis in ſuis conſtitutionibus profitentur, obedientiam ſuperioribus reddi oportere in omnibus rebus, vbi non cerneretur peccatum. Fundator etiam ipſorum, in ſuam quandam epiſtolam, qua omnes ad perfectam obedientiam exhortatur, illa verba D. Bern. tranſtulit: ſiue Deus, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcunq; tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Et certè ſi abeſſet etiam exceptio huiuſmodi, ratio ipſa perſuaderet, non fuiſſe eam mentem illorum, qui primi leges huic Ordini dederunt, vt aliquid contra Deum Opt. Max. cui ſe totos conſecrarant, ſuis imperare Dei nomine auderent; & exigere quod aut vires excederet, aut cum ratione pugnaret; quale eſſet cœlum aratro findere, maria ſternere, alpes complanare. Hæc enim & id genus alia nonniſi ſtulti imperare ſolent, & qui nullum certum ſibi finem proponunt. Quod tu de Ieſuitis affirmare nō audes, qui tam multa prudētiæ & induſtriæ illorum veſtigia, velis nolis, agnoſcere cogeris.

Ieſuitarum obedientia erga ſuperiores qualis.

Tract. de Prac: & diſpenſat.

ARTICVLVS VII.

Generalem Ieſuitarum aliis de cauſis, quàm anonymus putat, Romæ reſidere, & nihil cum Hiſpanico regimine commune habere.

 Sed re-

Digitized by Google

Refutantur quinq; baſes anonymi.

SEd redeo tecum ad Politiam Ieſuitarum, cuius tu, vt à te dicta magis magiſq; confirmes, quinque potiſſimas baſes fingis & enumeras, & ſingulas inſigni aliquo mendacio exornas. Inſpiciamus quæſo vel animi cauſa, vnamquamq; ſigillatim. Primam & præcipuam conſtituis, Generalis Ieſuitarum ſedem Romanæ Sedi & Conſiſtorio affixam & implantatam. Sed hanc baſin tuam iam paulò ante deieci, oſtendiq; Generalem Ieſuitarum, neq; ea de cauſa quam tu allegas, neq; tam arctis legibus ſicut fingis, Romanæ reſidentiæ adſtringi. Nolo hîc eadem repetere, ne tui ſimilis ſtultus efficiar. Alteram baſin in eo collocas, quod Ieſuitæ ſedem illam ſuam Romanam, Hiſpanico imperio inſertam, magno ſtudio conſeruant. Præcelſa fateor hæc baſis tua eſt; ſed quæ ingenti mole mendacij preſſa fatiſcit, & ruinam certiſſimam minatur. Sedes enim ſeu reſidentia Romana Generalis Ieſuitarum, tantundem inſerta eſt imperio Hiſpanico, quantum imperio reliquorum omnium imperiorum ſeu regnorum Chriſtianorum. Quid Generali cum Hiſpanico imperio? quæ communicatio? aut quod commercium aliud, præter illud omnibus aliis commune, quod pro ſuo munere exercet aſſiduè in promouendis Collegiis per varia loca ſparſis, vt in pietate & ſtudiis incrementũ capiant? At tu ne quid temerè aſſeruiſſe videaris, mendaciũ tuum comprobare pergis: *ex eo quòd inter ſeptem Generales ſuos qui ſibi hucuſq; ſucceſſerunt, neminem elegerint Ieſuitæ, qui non vel natione vel ditione Hiſpanus eſſet, quod omnino affirmas nõ carere myſterio.* Non caret certe myſterio, tua hæc mentiendi perpetua & effrenis licentia; quippe qui ab omni ratione & veritate deſtitutus, maiora ſemper & maiora excogitas mendacia, dummodo Ieſuitis inuidiam apud omnes conflare poſſis; vt bene de te deq; tui ſimilibus dixerit Seneca: Nemo fingere contentus eſt leuia, quum magnitudine mendacij fidem quærat. Generales Ieſuitarum, homo impudentiſſime, non ſeptem, ſed quinque tantum hactenus fuerunt, Ignatius Loiola fundator, Iacobus Laynes, Franciſcus Borgia, (olim Gandiæ Dux) Euerhardus Mercurianus, & Claudius Aquaquiua, qui hoc tempore adhuc ſuperſtes præeſt. Duo reliqui quos adiicis, in cerebro tuo enati ſunt, ibidemq; hucuſq; reſident, cum tot aliis chimeris, quibus ad libitum ſemper abundas. Sed tu ipſe quoque, hunc errorem tandem aduertis & corrigis, ſubiungens poſtea illa verba: *ſi rectè memini.* Sanè neq; rectè meminiſti, neq; rectè aſſeueraſti, ad mentiendum tantùm te paratum fuiſſe oſtendiſti,

Regimen Ieſuitarum cum Hiſpanico nihil habet commune.

Lib: 7. de Benef. cap: 30.

Generales Ieſuitarũ quot hactenus fuerunt, & qui.

oſtendiſti, & nocere voluiſſe ſi potuiſſes. Præterea vim huius argumenti tui, quo probas Ieſuitas Hiſpanico regimini inſertos eſſe, ſi quis expendat, te ridiculum Logicum, ſeu laicum craſſum potius ex ipſa conſequentia deprehendet. Ita enim argumentaris: Ieſuitæ hactenus Generales ſuos, vel Hiſpanos, vel Hiſpanorum ſubditos habuerunt. Ergo eo ipſo ſunt inſerti Hiſpanico regimini, & ad propagandum illud omnem ſuam operam conſecrant. Quaſi verò omnes Regis Hiſpaniarum ſubditi, qui extra Hiſpaniam verſantur, & ſub variis Principibus Chriſtianis, ſiue aliis quibuſcunq; munera varia obeunt, aut in caſtris militant, eo ipſo nomine, quòd ad Hiſpanum pertineant, cenſeantur pro Hiſpano militare, eo fine vt eius imperium dilatent, & non potius pro illorum bono & commodo, quorum ſtipendia percipiunt. Tale prorſus eſt ſi diceres: (& quidem longè verius dicere poſſes) Præcipui miniſtri & ſuperintendentes Lutherani & Caluiniſtæ, ſunt Galli vel Germani. Ergo eo ipſo vbicunq; degunt, Gallorum duntaxat vel Germanorum rebus promouendis ſtudent: quod illi ne ſomniant quidem. multò minus ſomniat Generalis Ieſuitarum, qui quantumuis vel Hiſpanus ſit, vel Hiſpani ſubditus, emancipatus eſt hoc ipſo, quòd in ſortem Domini adſcriptus, ea quæ Domini ſunt, per ſe ſuosq; procurat. Deniq; quid mirum, ſi Ieſuitæ fundatorem ordinis ſui hominem Hiſpanum nacti, & in Hiſpania primum & potiſſimum cogniti & propagati, circa hæc originis ſuæ primordia Generales ex Hiſpanis vel Hiſpanorum ſubditis habeant, cùm idem antiquioribus etiam pleriſq; religioſis ordinibus contigerit, & recentioribus in hunc vſq; diem contingat, vt qua quiſque natione exortus eſt, ex eadem primos Rectores & Præfectos ſortiatur.

Anonymus laicus non logicus.

Ieſuitæ cur hactenus Generales ſuos vel Hiſpanos vel Hiſpanorũ ſubditos habuerint.

ARTICVLVS VIII.

Oſtenditur Ieſuitas, neq; ſolos exemptionis priuilegio gaudere, neq; ſolis externis regimen ſuum committere, ſed indigenas maxima ex parte præficere.

Sed pergamus iam ad tertiã baſin tuam Hanc tu ita deſcribis. Ex tot „ diuerſis ordinibus, ſoli ferè Ieſuitæ ab vtriuſq; fori ordinaria iu„ riſdictione exempti ſunt; ideoq; hoc ipſo nomine ſuſpecti eſſe debent. Atqui inprimis, non ſoli inter religioſos ordines Ieſuitæ exempti ſunt;

Non ſoli Ieſuitæ exemptionis priuilegio gaudent.

 gaudent

gaudent hoc priuilegio alij etiam pleriq;. Deinde ſuæ exemptionis prærogatiua vtuntur citra vllius præiudicium; ideoq; vbi res & neceſſitas poſtulat, vtriq; illi foro ſeſe ſiſtere, vtriq; quicquid ei iure competit tribuere ſolent. Quod quotidiana experientia docet clarius, quàm vt probari indigeat: vt demirari ſatis nequeam tuam in mentiendo audaciam, & impudentiam inſignem. Qua etiam fretus, in eadem baſi tua nec non in ſequentibus duabus (vt pariter omnes eadem opera euertam) aſſeris impudenter, ſuperiores Ieſuitarum, plerumq; Hiſpanos vel Italos eſſe, nunquam ex indigenis ad præfecturas & dignitates eligi, niſi" ex Hiſpanis vel Italis, aut ſaltem iis qui ex Anglia, Gallia, propter faci-" nora aliqua profugerunt, & ob nimium erga Hiſpanos ſtudium ex præ-" dictis Regnis proſcripti ſunt. Hic tu omnia planè repagula pudoris," omnibus alioquin à natura inſiti, abrupiſti Luce enim meridiana cla-" riùs conſtat, Superiores & Rectores omnes, tum Prouinciarum, tum Collegiorum, quotquot in Regno Poloniæ extant, Polonos vel Lithuanos, aut Prutenos, Regis Poloniæ ſubditos eſſe, Italum & Hiſpanum neminem prorſus, ad clauum Domus vel Collegij reperiri; nemo eſt inter omnes ex Gallia & Anglia profugus aut proſcriptus. Eſt quidem inter eos Iacobus Boſgrauius Anglus, vir à pietate & eruditione multis noſtratibus notus, qui ante annos viginti quatuor circiter in Anglia captiuus detentus fuerat. At is poſt varias quæſtiones & tormenta, ſibi propter fidem tantùm Catholicam illata, interceſſione & auctoritate interpoſita Sereniſſimi Regis Poloniæ Stephani Battorei, liber dimiſſus tandem in Poloniam venit, viuitq; in hunc vſque diem. Sed neq; tu nomen alicuius certum prodere auſus es, ne te ipſum proderes, cùm apertiſſimi mendacij illico argui poſſes: vel certè quòd metueres, ne probata innocentia delati, à te pœnam talionis & infamiæ depoſcerent. At ego te omni hoc metu infamiæ liberaſſem, fama enim vera ſemel duntaxat amittitur, tu verò tuam tot aliis calumniis & impoſturis tuis omnẽ iam pridem perdidiſti, & decoxiſti prorſus, vt amittere eam denuò non poſſis. Poſtremam deniq; baſin tuam vt accommodes magis, nouo eam mendacio ſuffulcis. Ais enim, Seniores & Rectores Ieſuitarum nullo deligi ex nobilium ordine, plerunq; plebeios adſciri. Apparet te vel ignarum eſſe omnino rerum, quæ inter Ieſuitas geruntur, & cœcum de coloribus diſſerere; vel, ſi forte eas perſpectas habeas, nihil aliud perfricta fronte moliri, quàm vt prægnãtem menda-

Ieſuitæ in Polonia, Collegiis & Domibus ſuis vel Polonos vel Regni Poloniæ ſubditos præficiunt.

mendaciis mentem identidem exoneres,& Ieſuitis omnẽ apud omnes inuidiã confles. Sed tuam hic inprimis mentiendi licẽtiam redarguent tot teſtes,quot ad oculũ in pręcipuis quibuſq; domibus & Collegiis Ieſuitarũ Superiores & Præfectos, nobili ortos proſapia,Poſnaniæ,Leopoli, Lublini,Torunij,Sendomiriæ, aliisq; pluribus locis quotidie intuẽtur. Sed & præter hos qui Rectorum & Præfectorum munere perfunguntur, videre licet inter eos etiam alios plurimos, viros maturos & adoleſcentes,generis nobilitate conſpicuos,adeò vt ex omnibus Palatinatibus Regni, nullum prorſus ſciam, ex quo non aliqui reperiantur in album illorum adſcripti. Tu ipſe anonyme, ſi aliquando illud aſpiceres,reperires certè multos, qui non tantùm ex Equeſtri,ſed ex ipſo ordine Senatorio ampliſſimo, ſanguinis ſui originem ducunt: reperires nomina Mieleciorum,Rozrazeuiorum, Kriſciorum, Vilcanouiorum, Tiskieuiciorum,Koſtkarum, Radziminiorum, Warſzeuiciorum,Ciernakouiorum, Bikouiorum, Garuaſciorum, Oſſoliniorum, Voluciorum, Rudniciorum, Stephanouiorum, Bobolarum, Roſciſzeuiorum, Oborſciorum, Viſociorum, Grotorum, Porembſciorum, & aliorum eiuſdem conditionis & generis plurimorum,quorum aliqui iam vitam pręſentem cum futura commutarunt, alij viui adhuc maxima ex parte ſuperſunt, & in oculis omnium verſantur. Hos tu ſi Nobiles eſſe neges, negaueris ſimul etiam familias illorum ad nobilitatem pertinere. Neque enim arctiſſimum ſanguinis vinculum, quo eos natura coniunxit, eo nomine abrumpi & diſſolui poteſt, quòd in ſortem Dei adſcripti ſint; alioquin pari ratione excluderes à nobilitate Antiſtites & Prælatos omnes, vt quid ergo Senatoria occupant loca? vt quid ad ſuprema tribunalium iudicia leguntur? cur in legationibus & negotiis publicis tam frequens eorum opera adhibetur? An verò qui Societati nomina conſecrauere ſua,nõ poterant idem quod & illi eſſe? Ideonè quòd ſe negotiis publicis non immiſceant, etiam nobiles eſſe deſinent, & eorum conditio,cognatorum & affinium ſtatu erit deterior? Non amittitur Cleri ſorte Nobilitas,neq; Nobilitati Cleri ſors quippiam præiudicat;reſpondent iſta ſibi inuicem pulcherrimè,& ſe inuicem ornant apud Catholicos. Inter eos tantùm qui extra Catholicorum numerum ſunt, hæc ſibi inuicem repugnant. Idcirco grauiter erras anonyme,ſi Cleri Catholici ſtatum & conditionem metiris iudicio hæreticorum tuorum, apud quos probroſum habetur, ſi quiſpiam prædicans pro

Ieſuitarũ Rectores & Præfecti pleriq; nobiles.

Ieſuitæ multi nobilitate conſpicui.

Nobilitas non repugnat ſorti Cleri.

Hæreticorũ Miniſtri pauciſſimi nobiles. & quare.

cans pro nobili ſe gerat;neq; enim inter miniſtrum verbi & miniſtrum iuſtitiæ quicquam intereſſe putant. Vnde nullos ferè, vel admodum paucos reperias tales Syminiſtas, qui parentum nobilitate glorientur; & ſi qui ſunt, eos res anguſta & cenſus triobularis cogit eſſe miniſtros, & quidem ad omnem nutum paratos dominorum ſuorum, à quorum præſcripto & iudicio in dogmatibus promulgandis, ne latum quidem vnguem diſcedere audeant. In talibus generoſi & nobilis animi ne veſtigium quidem inueneris, vt pote qui ex fæce populi conſtent, & quos plerumq; officinæ ſordidæ ne dicam carnificinæ ſuppeditent, vt ſimiles habeant labra lactucas. Nihil tale inter Ieſuitas viſitur. Ego verò aliquid etiam præſtantius tibi in hoc genere de Ieſuitis narrabo. Nimirum neminem apud eos præfici aut Collegio aut Officio vlli, niſi nobilem; id ſi tibi fortè paradoxum quoddam videatur, diſcas velim, in quo vera nobilitas conſiſtat. Hominem nobilem, ex vnanimi ſententia

Nobilitas vera qua.

tum Ethnicorum, tum Chriſtianorum Philoſophorũ omnium, (præterquam quòd animo per ſe nobiliſſimo ad imaginem Dei condito conſtet) indoles ingenua virtutibus exculta maximè conſtituit, non verò ſolus ille generis & originis ſplendor, qui à claris nobilitate parentibus trahitur: qui etſi gratam quandam fortunæ ſortem efficiat, integram tamen laudem veræ nobilitatis vendicare ſibi non poteſt, niſi in illis iis, in quibus ab indole & virtute illuſtratur: his deſtitutus præſidiis & ornamentis, in obſcuro eſt, & externa tantum quadam ſpecie oculos vulgi perſtringit, vmbram autem & imaginem potiùs nobilitatis, quàm veram nobilitatem complectitur, ſæpeq; etiam infimæ ſortis homines, intra ſeriem & propaginem generis ſui admittit.

Lib: de Beneficia: ca: 28.

Sapienter etiam Plato aſſerit, neminem Regem non ex ſeruis eſſe oriundum, neminem ſeruum non ex Regibus. Seneca verò noſter, „ paulò etiam fuſius & luculentius de re tota ita diſſerit: Eadem omni- „ bus principia, eademq; origo; nemo altero nobilior, niſi cùm rectius „ ingenium, & artibus bonis aptius oſtendit. Qui imagines in atrio ex- „ ponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum „ illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quàm no- „ biles ſunt; vnus omnium parens mundus eſt, ſiue per ſplendidos, ſiue „ per ſordidos gradus ad hunc prima cuiuſq; origo perducitur. Non eſt „ quod te iſti decipiant, qui cùm maiores ſuos recenſent, vbicunq; defi- „ cit nomen illuſtre, Deum fingunt. Hactenus Seneca (& ipſe alioquin „

nobili

nobili genere ortus) pro ſua prudentia, qua multis præſtabat, rectè ſatis. Non improbans vtique generis & familiæ ſplendorem, à quo Reipublicæ omnes, ſingulare ornamentum capiunt; ſed eos duntaxat reprehendens, qui nullam aliam gloriam ſuam, niſi eam quam ad illos ex nobilitate & antiquitate familiæ ſors detulit, iactare ſolent. Nemo, ait idem Seneca, in noſtram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Quemadmodum enim pulchritudine ſua quiſque pulcher eſt; ita & rerum à ſe geſtarum gloria maximè illuſtratur. Non faciunt meliorem equum aurei freni; & frumentum (aiebat Socrates) non illud iudicamus optimum, quod in pulcherrimo agro natum eſt, ſed quod commodè nutrit; ſic neq; virum bonum & ſtudioſum qui genere clarus, ſed qui moribus egregiis fuerit. Hæc ergo cùm ita ſe habeant, næ tu grauiter erras, cùm negas Ieſuitarum Præfectos & Rectores omnes nobiles eſſe; cùm à virtute, indole & eruditione egregia, nobilitati omnium oculis compareant: quanquam in pleriſq; illorum etiam ipſe generis ſplendor, qui à Politicis ſpectatur, minimè deſit: & ſi is deſideretur in nonnullis, at non deſideratur virtus & aptitudo ad ea munera, quæ potiſſimum ſpectari in illis & requiri ſolet. Rectè enim Bion olim Antigono dixit: Sagittariis ſi opus habes, non vnde ſint interrogas, ſed ſcopum proponis, & qui tangunt eligis; ſic & alios explora, non vnde, ſed quales ſint. An non ipſa Reſpublica, frequenter etiam infimæ ſortis ex vulgo homines transferre, & in numerum nobilium cooptare ſolet; ſi quando vel in bellis, vel in aliis Reipub. obſequiis inſigne aliquod virtutis ſpecimen ediderint, nonnè eos ampliſſimis etiam muneribus ornat & cumulat; dignitatemq; illorum non generis ſplendore, ſed virtutum & meritorum præſtantia metitur, & multis aliquando aliis ciuibus, qui nobilibus gaudent natalibus, in conferendis officiis & dignitatibus anteponit?

Apud Sen: epi: 44. in Com: Lipſii.

Vide hac de re fuſiùs Oſor.

ARTICVLVS IX.

Ieſuitas in perturbatione Galliæ, nullas partes certas ſecutos fuiſſe.

SEd pergamus in Morologia tua. Punctum illud primum primi capitis, quo pollicitus fueras, te Politiam Ieſuitarum explicaturum, tandem concludis exemplo vno, quod à Ieſuitis in Gallia editum commemoras.

memoras.

Digitized by Google

memoras Aſſeris enim: *Fluctuante ſuperioribus annis Galliá, & in Regis electione occupata, ne vnum quidem Ieſuitam, ſecutum fuiſſe partes Regis aut Reipub.* Fateor; ſed noſtiné rei huius cauſam? In promptu eſt: quia nimirùm Ieſuitæ in electionibus Regum & Principum, in diſſidiis & factionibus, publicis præſertim, nullas ſibi certas partes vendicare ſolent. Eorum enim in caſibus ſimilibus vnicum & proprium illud munus eſt, commendare Deo diligenter partes inter ſe contrarias, ac demũ eam ſequi, quam Deus diuino ſuo conſilio & iudicio elegerit, & declarauerit meliorem. Quod ſtrenuè à Ieſuitis præſtitum, in ea Galliarum perturbatione, omnes boni teſtantur. Nam quod tu qui nihil cum bonis commune habes, affirmas Ieſuitas ita pertinaciter tunc inheſiſſe Hiſpano, vt factioni eius pro anima & corde fuerint; gratis id omninò aſſeueras, nullam rationem, nullum teſtimonium aut exemplum, quo id comprobes, afferens. Ecquis tibi nugaciſſimo lucumoni, verbis tantum ludenti, & calumnias meras deſpumanti, fidem adhibeat?

ARTICVLVS X.

Ieſuitas non ita eſſe Hiſpanis addictos, vt anonymus fingit.

ATque hìc finem imponis primo illi capiti tuo de Ieſuitarum Politia explicati; ego quoque hìc tecum ſubſiſterem, niſi me toties repetita impudentia tua irritaret, & longiùs proueheret. *Toties inſimulas Ieſuitas factionis Hiſpaniæ, toties perſtringis, & nihil aliud moliri eos aſſeueras, quàm vt Hiſpaniarum Regi ſtudeant. Caput illos Hiſpanico & Italico cerebro plenũ portare affirmas, cor & animam Hiſpani appellas, deniq; neſcio quem agilem & acutum gladium geſtare fingis, cuius lamina quidem in vagina Polonica recondita ſit, ſed ita vt Capulum Roma & Hiſpania manibus teneat, & ad nutum ſuum vibret.* Magna ſunt hæc omnia quæ obiicis, ſed vt eorum veritatem comprobes, velim ad hæc quatuor poſtulata mea reſpondeas, & eris mihi magnus Apollo.

Primum: cùm tantopere Ieſuitæ, vt tù perpetuò affirmas, rebus Hiſpanicis ſtudeant; quid eſt tandem quod pro tot ſuis laboribus ſeculo penè integro exantlatis, à Regibus Hiſpaniarũ expectant? Sanè quantùm illis debeatur, qui totum orbem ſub iugum vnius Hiſpaniæ mittere conantur, nemo non videt. Qui ergo honores ſunt illis decreti? qui reditus hoc nomine aſſignati? quæ præmia deſtinata? illis inquam, qui dum profeſſionẽ iuxta morem Ordinis ſui emittunt, exuunt ſe non

rebus

Digitized by Google

rebus tantùm ipſis; ſed iure omni quod ad eos vnquam ſpectare poſſet, in honoribus & diuitiis extrinſecus obuenientibus, vel etiam in hæreditariis & propriis adeundis. Quod ſi forte reſponderis, abundè remunerari Ieſuitas numeroſis & opulentis Collegiis, quæ per Hiſpaniam penè totam ſparſa ſunt: ſi inquā hæc obieceris, nihil prorſus ages. Nam in pleriſq; aliis Regnis Chriſtianis, æquè numeroſa & inſtructa Collegia eorum reperies: & quod magis mireris, extra Hiſpaniam inuenies non pauca, ab ipſis Regibus Chriſtianis excitata & fundata: in Hiſpania verò quod à Rege Hiſpaniarum, aut Repub. Hiſpana, ex publico Regni ærario excitatum ſit, (Luſitaniam hic excipio) inuenies nullum. Dabit tibi Gallia Flexienſe cum tot aliis, regia munificentia erectis; dabit Germania & Bohemia ab Imperatoribus Pragæ & Viennæ excitata; dabit Polonia noſtra Plocenſe, Rigenſe, Derpatenſe, à Sereniſſimo Rege Stephano fundata. Quid tu ad hæc reſpondere poteris? quam remunerationem aliam Ieſuitis ab Hiſpano factam confinges? Vna illa & ſola ſupereſt, quam Arnaldus ille tuus, vates Phanaticus, rabula Pariſienſis confinxit; nempe Ieſuitas millionibus auri aliquot ex India allatis, & nauibus onerariis per ipſos ſeu Pyrrheneos montes inuectis, remuneratos fuiſſe. Sed is cum his & aliis id genus Chymeris ſuis ab omnibus iam exploſus, ne mutire quidem, qui aliquando contra Ieſuitas cœlum boatu replere ſibi videbatur, nunc audet. Secundum: ſi tantopere Ieſuitæ Hiſpanos vbique promouent, & Hiſpani Ieſuitas tot nominibus ſibi obſtrictos habent, quid eſt quòd in eodem conſilio tuo inſulſo Ieſuitis probri loco obiicis, eos alicubi ex Hiſpania pulſos eſſe? Quid? tam fideles ſubditos, tam ſedulos imperij ſui promotores, cor ipſum & animam Hiſpaniæ, Hiſpani pepulerunt? In cor & animam ſuam deſæuierunt? Hic tu illud expende & recogita tecum vel ſerius: Mendacem oportet eſſe memorem, ne ſeipſum peſſundet. Tertium: Tot extantibus Ieſuitarum ſtudiis & conatibus pro Hiſpania, quot tu commemoras, quæ tandem nationes, quotué Prouinciæ opera illorum, imperio Hiſpanico adiectæ ſunt? Quibus id Principibus, aut Rebuſpublicis, apud quas Ieſuitæ verſantur, perſuaſum? Quæ vel priuatæ ſaltem perſonæ relicto patriæ ſolo ad Hiſpanos deſciuerunt? aut Hiſpanici regiminis deſiderio incenſi, illud apud ſuos promouerunt? Mirum ſanè: Ieſuitæ ſecundum ſententiam tuam, nil aliud agunt vbiq; quàm vt pro Hiſpanis tanquam pro aris & focis de-

Digitized by Google

ſocis decertent, & nullum tot annis proſelytum inueniunt, quem in partes illorum pertrahant; inueniunt autem plurimos, imò nationes integras & Prouincias, quas Chriſto & Eccleſiæ illius adiungunt, in nouo & vetere orbe; quod nullis humanis præſidiis perficere poſſent, niſi eos dirigeret & confortaret Dei digitus, cui nulla potentia reſiſtere poteſt. Vide ergo ne longè aliud, quàm tu ſomnias, Ieſuitæ in votis habeant; non Hiſpanici imperij fines dilatare, ſed gloriam & honorem diuinum propagare; ideoq; tam fœlices & proſperos laborum ſuorum ſucceſſus experiri. Præterea, admirabile prorſus & prodigij cuiuſdam inſtar videtur, Ieſuitas omnes ſola Hiſpaniæ commoda ſpectare. Itané homines ex omnibus fere nationibus, quæ ſub cœlo extant, congregatos, eo ipſo quòd ordinem hunc ingrediuntur, ad modum Chamaleontis & Prothei immutari neceſſe eſt, & repentè patriæ ſuæ, in quam naturæ quodam impetu propendent, obliuiſci, omnem affectum imò naturam ipſam exuere, & in vnius Hiſpaniæ, quam magna ex parte de nomine tantùm norunt, commoda conſpirare? Quis id niſi mentis inops opinetur aut credat? Poſtremo loco & illud ex te ſcire cupio, quid nominatim Ieſuitæ egerint, dixerint, aut ſcripſerint, quod Hiſpanicum dominium, in gentem noſtram præſertim, accerſeret? Quibus id in concionibus, lectionibus, libriſué conſcriptis ſuaſerint? produc teſtes, conuince rationibus, & tum demum Ieſuitas vt reos accuſabis; alioquin figmenta iſta, quæ nudis nuda verbis inuoluis, non Ieſuitas, ſed teipſum apud omnes traducent, prodentq; hominem leuiſſimum, qui per ſummum ſtultiloquiũ, contra homines toti orbi Chriſtiano notiſſimos, quicquid in buccam venit, effutiat, & furori tantùm ſuo atq; odio contra innocentes concepto, indulgeat. Sed pergamus.

ARTICVLVS XI.

Quis finis ſit proprius inſtituti Ieſuitarum.

EXpedita Ieſuitarum politia, ad finem illorum (quod ſecundo loco propoſueras) explicandum accedis, & pro more tuo non minus audacter quàm impudenter aſſeris: *Ieſuitas principalis finis ſui longè ſubliniorem aliis ordinibus ſcopum præfixum habere. Qui nempe eſt, vt Romanæ Eccleſiæ ſiue imperii Eccleſiaſtici collapſam auctoritatem non ſolùm recuperent, ſed vt ſubiectum, præcipuè Europæ, orbem ita corrigant & reforment, vt huiuſmodi inſultus*

quos res

quos res Romana hactenus eſt perpeſſa, in longum præcaueant. At tu toto hic cœlo erras imperitiſſime coniector, dum Ieſuitarum finem præcipuum illum conſtituis; is enim longè alius eſt, & quidem in ipſis Conſtitutionibus eorum diſertis verbis deſcriptus: quæ ſi tu aliquando legiſſes, non ita turpiter hallucinatus fuiſſes. Finis huius Societatis (inquiunt) eſt non ſolùm ſaluti & perfectioni propriarum animarum cum Diuina gratia vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere. Audiſnè finem Ieſuitarum principalem hunc eſſe, vt omnem profectum in pietate Chriſtiana ſectentur, eundemq; omnibus aliis perſuadeant. Id nimirùm eſt, quod illi omni cura & ſtudio inprimis contendunt. Poſtmodum verò, quicquid præterea poſſunt pro Eccleſia Dei, & pro ſummo Pontifice Chriſti vicario, vt legittima illius auctoritas & obſeruantia apud omnes conſtet, efficere conantur, non vt Politico ſedis Apoſtolicæ imperio orbem Europæum ſubiiciant, ſed vt ſpirituale eius regimen, quod in nationes omnes à Chriſto ipſo, in Apoſtolo Petro conceſſum accepit, promoueant, & gregem Chriſti quàm numeroſiſſimum, tum præſentibus, tum futuris illis paſcuis præparent. Atque in hunc ipſum finem, & non in alium, quartum votum ſuum Pontifici, vel Deo potiùs nuncupant, vt ſemper præſtò ſint, quotieſcunque opera illorum in pertrahendis ad Chriſtum animabus vti voluerit Chriſti in terris vicarius. Huc etiam ſpectant omnia ipſorum priuilegia, non vt per ea cæteris religioſorum ordinibus (cum quibus pleriſque eadem habent communia) antecellant, aut Epiſcopis & Prælatis formidabiles fiant; ſed vt magis ad omnem Eccleſiæ neceſſitatem expediti & inſtructi ſint.

ARTICVLVS XII.

A Ieſuitis nihil mali Romanæ ſeu Catholicæ Eccleſiæ, aut ſtatui Politico imminere.

AT pergis in eadem tua contra Ieſuitas morologia: *Nec ego dubito* (inquiens) *quin gens Ieſuitica aliquando Romanæ Eccleſiæ horrendi Schiſmatis occaſionem præbitura ſit.* Mirum, quòd cùm neq; propheta ſis, neq; filius prophetæ, prophetare tamen tam audacter audeas. Vt nimirùm hoc ipſo oſtendas, te vana & mendacia prophetare ex eo ſpiritu, qui de ſeipſo aliquando teſtatus eſt: Egrediar, inquiens, & ero ſpiritus 3. Reg: 22. mendax

Digitized by Google

mendax in ore omnium prophetarum eius. Quot iſte iam ſpiritus de grege veſtro Cynico augures tui ſimiles decepit, Huſſos, Lutheros, Flechios, Mellerſtadios, & qui tam multa falſa confictà prædixerunt, & ſecuti ſpiritum ſuum fanaticum, nihil præter vana fantaſmata viderunt. Lege vel vnius Lutheri vaticinia, collecta à Chriſtophoro Valtero, ac Ioanne Anſterodamo; & me vera ſentire & ſcribere probabis. At tu ne vana penitus prędixiſſe videaris, extare iam aſſeris veſtigia & initia quædam huius Schiſmatis per Ieſuitas in Romanam Eccleſiam excitati, idq; his verbis comprobas. *Ad quod ſanè ipſimet inter nos iam hoc conſpicuum exordiū fecerunt, quo eos qui Romanæ Eccleſiæ inſtituta ſequuntur, in genuinos Catholicos & Politicos diſtinguunt. Veri autem Catholici eis ſunt, non qui Catholicè credunt & viuunt, ſed qui ipſorum factioni ita toti addicti ſunt, vt omnes illorum molitiones probent, ſerioq; promoueant; pro Politicis verò, id eſt, pſeudo Catholicis eos habent, qui etſi in fide & vita Eccleſiæ Romanæ ſe per omnia conforment, Ieſuitarum tamen factioſa conſilia deteſtantur.* Vafrum ſanè Cynicum hic te nobis exhibes, vt Ieſuitas traducas, & oſtendas ſtatus Politici perturbatores & iuratos hoſtes eſſe; ſed bona verba quæſo. Rectè enim à quodā dictum:

Senec. epi: 79. Tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris Inſpiciamus & diſcutiamus aliquantulum hunc tām ſubtilem aculeum tuum, quo Ieſuitas petis. Ieſuitæné tibi Politicum ſtatum vſq; adeò odiſſe videntur, vt illum Catholicæ religioni tanquam è diametro repugnantem opponant? Ediſſere nobis inprimis, quis Ieſuitarum vnquam populum Catholicum ita diſtinxit, vt Politicos eos diceret, qui Ieſuitis eſſent contrarij, Catholicos verò è contra, qui illorum partes tuerentur. Expone nomen primi auctoris huius diſtinctionis, prode vel poſteriorem aliquem. Quodſi neminem reperias, vel hinc intelligas, te ipſum eſſe illum fictum Ieſuitam, omnis huius commenti inuentorem, qui omnia ad arbitrium ſuum quoties lubet, fingit & refingit. Ieſuitæ autem, & alij plurimi viri eruditi atq; de re Chriſtiana optimè meriti, duplex reperiri cenſent inter Chriſtianos, (quocunque iure aut prætextu ſibi nomen hoc vſurpant) Politicorum genus. Alterum eorum, qui auitam pietatem ſecuti, cenſent in omni Repub. Chriſtiana benè ordinata illud vnum maximè ſpectandum eſſe, atq; ad eum tanquam ſupremum finem, leges & inſtituta omnia conformanda, vt Dei honor & gloria integra & illibata conſeruetur, ſiue id accidat cum Reipub. ipſius commodo, ſiue etiam cum aliquo boni illius temporalis detrimento. Alte-

to. Alterum eorum,qui Reipub. Politicum bonum duntaxat pro vltimo fine ſibi proponunt, illudq; ſolum ſpectandum & conſeruandum exiſtimant, Religionis verò ſeu Dei præpotentis cultum eatenus tantum probant, quatenus temporariis ciuium commodis conſeruandis ſubſeruire poteſt. Ac primum quidem illud Politiæ genus,Eccleſia Catholica florente, ſemper floruit; fuitq; ſemper conſtans præſtantiſſimorum quorumcunque Imperatorum apud Chriſtianos ea ſententia: Non poſſe vlla ratione ſtatum Politicum florere, niſi religio & legittimus Dei cultus floruerit. Iidem extremo vitæ ſuæ tempore,etiam filiis ſuis illud vnum maximè commendabant, vt religionis cultum ante omnia promouerent, ſi bene conſultum imperiis ſuis vellent. Senſit fecitq; id Conſtantinus Magnus, Theodoſius,Baſilius,fecerunt & alij plures magno poſterorum ſuorum & Regnorum emolumento. Porrò qui poſtremum Politicæ genus ſecuti ſunt, & Diuina humanis ſubſternere voluerunt, imperarunt infœliciſſimè, reliqueruntq; teſtatum poſteris omnibus, neglectum religionis cultum,extremã Rebuſpub. & imperiis perniciem afferre. Experti id ſunt,ſuo & ſuorum omnium malo, Heraclius, Iuſtinianus, Conſtantinus, aliiq; non pauci, quorum paſſim in hiſtoriis exempla occurrunt. Et quid ego exempla Chriſtianorum Principum commemoro,cùm ipſi etiam gentiles idem ſenſerint, & qualiſcunq; religionis ſuæ bonum, omni Politico commodo antepoſuerint? Romani certè (vt cæteros taceam) qui prudentia ſingulari multis aliis præſtabant, & zelo gentilitiæ ſuæ ſuperſtitionis, (cui veram ineſſe religionem ſibi perſuaſerant) flagrabant; Numæ Pompilij Regis ſui librorum caſu inuentorum,cùm ad conuellenda ſacra ſua, iã publico vſu recepta, eos non parum conferre poſſe deprehendiſſent, per publicum Magiſtratus edictum rogo adiudicarunt. Iidem in more poſitum habebãt, Senatum in fano aliquo cogere,& primum omnium de iis quæ ad religionem in ſuo ſtatu & flore conſeruandam ſpectabant, deliberare conſueuerunt, eiuſq; bono ſalutem omnem Reip. metiebantur;& tum demum ad Politica tractanda accedebant,lumen tantùm & rationẽ à natura inſitam,ducem ſecuti. Idem hac de re iudicium ſemper fuit Eccleſiæ Catholicæ, eſtq; in hunc vſq; diem, vt potè quæ hoc ipſo noſtro ſeculo,Nicolaum Maccyauellum, Politicorum ſecundi illius generis execrandum caput, à cætu reliquorum Chriſti fidelium omnium proſcripſit,in numerum hæreſiarcharum retulit,eius

deniq;

Digitized by Google

deniq; ſcripta peſtifera, perinde atq; cæterorum hæreticorum omnium damnauit. Quæ omnia dum Ieſuitæ quoque damnant & oppugnant vbique, non illi Schiſma vllum in populo Chriſtiano excitant, ſed tollunt potius, dum zizania à tritico ſecernunt, & conuellunt, ne triticum opprimant & ſuffocent. Sed hæc de Politicis in præſens ſufficiant.

ARTICVLVS XIII.

Ieſuitas nullam dediſſe cauſam Venetis, vt ſua illos ditione excluderent.

VIdeamus quomodo tandem tu ea, quæ de fine Ieſuitarum propoſueras, concludis, vt tua confirmes. Profers nouum quoddam huius temporis exemplum à Venetis emendicatum, vt Ieſuitas Schiſmatum auctores eſſe comprobes. Itaq; aſſeris: *Inter Venetos & Pontificem hoc tempore interceßiſſe controuerſiam ſuper conſtitutionibus quibusdam, quarum renouandarum occaſionem Magiſtratui Veneto præbuerunt artes teſtamentariæ Ieſuitarum. Et cùm Pontifex poſtea excõmunicationis ſententiam fulminaſſet, Reſpub. illa à Ieſuitis (ſtante ab ea reliquo ferè Clero) deſerta fuit, ideoq; illos publico Magiſtratus edicto in æternum relegauit.* Sanè vbiq; tui ſimillimus es, quotieſcunq; aliquid narras: ſale enim mendaciorum omnia condire ſoles. Quis tibi obſecro genius reuelauit Ieſuitas, huius inter Venetos & Pontificem controuerſiæ auctores extitiſſe; cùm nec ab vllo ſcriptore ex iis, qui pro vtraq; parte in hoc negocio ſcriptis decertarunt, nec à ſeptem Theologis ab ipſa Repub. Veneta deputatis, quidquam Ieſuitis obiectũ vnquam fuerit? Quis occaſionẽ teſtamentorum, & non aliquam aliam fuiſſe indicauit? Quis publico edicto Magiſtratus, pulſos eſſe & non ſpontè deceſſiſſe Venetiis aperuit? Nihil horum vel leuiſſimè attingit Ieſuitas. Nulla illi teſtamenta procurarunt; occaſionem nullam tantæ contrà ſe indignationis præbuerunt: diſceſſerunt, publica Senatus licentia impetrata, non neceſſitate impoſita. Excommunicationis verò ſententia à Pontifice lata, omnes meritò perculerat. Et licet non ab omnibus æquè probata fuerit; fuerunt tamen religioſorum ordines aliquot, non recentiores tantummodò (vt tu fingis) ſed etiam ex vetuſtioribus S. Benedicti, tam Venetis quàm Patauinis, qui illam omnino obſeruandam meritò docuerunt. Atque inter hos extiterunt etiam Ieſuitæ, ſedi Apoſtolicæ pro ſuo inſtituto inprimis addicti. Quid mirùm ſi in caſu

Ieſuitæ nullã cauſam dederũt Venetis vt eos exilio punirent.

Digitized by Google

ſi in caſu tam difficili, vel Venetis ipſis, vel diſſentienti à ſe parti cuidam Cleri, contra Summi Pontificis & Chriſti vicarij ſententiam minimè ſat fecerint. Hæccine ſufficiens cauſa iudicari debet exilij eorum, aut notæ alicuius, quòd paſtorum in Eccleſia Dei paſtori morem gerere maluerint, quàm opulentæ ciuitati eidem reluctanti? Produc, ſi potes, aliud crimen & conuince, ſi de Ieſuitis triumphare cupis. Nam iſtud quod in præſens obiicis, laudem illis potius quàm inuidiam apud poſteros omnes conciliabit, ſicut conciliauit multis Sanctorum, qui perſecutiones, exilia, mortes, pro Eccleſia Dei, pro iuſtitia & veritate perpeſſi fuerunt. Deinde intelligas velim, perſecutionem hāc contra Ieſuitas excitatam, non tam Ieſuitis, quàm vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ vulnus inflixiſſe. Eccleſia enim quæ hoc noſtro ſeculo variis hæreticorum incurſibus oppugnatur, & propugnari ſe à Ieſuitis ſtrenuè contra omnem illam hoſtium colluuiem experitur, quantùm putas doloris inde colligit, cùm tam fidos milites & præſidiarios ſuos tam indignè tractari ante oculos ſuos conſpicit? Et quale eſt illud obſecro, homines qui à gentilibus Mahometanis, hæreticis, & aliis infidelibus varias perſecutiones patiuntur, repentè etiam ab ipſis Catholicis, pro quorum fide ac religione propaganda ad ſanguinem vſque decertant, odio haberi, exui fortunis, aqua & igni interdici, aditu & tranſitu, qui cæteris patet omnibus, arceri? Ecquid grauius obſecro excogitari aut ſtatui potuit, etiam contra improbiſſimos quoſq; Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ hoſtes? At Veneta Reſpublica, inquies, magnæ inter Principes Chriſtianos auctoritatis ſemper habita eſt, magnamq; prudentiæ & iuſtitiæ laudē apud omnes obtinet; abſq; graui igitur cauſa & crimine, tam duram exilij pœnā indigenis ſuis nunquam intuliſſet. Atqui ego neq; auctoritati, neq; laudi illius quidquā detractum cupio, omnia ſua cuiq; integra libenter relinquo; crimen autem Ieſuitarum requiro, quod & quale illud depræhenſum fuerit, quibus teſtibus legittimè conuictum, an locum aliquem defenſionis (quod etiam perditiſſimis hóminibus negari non ſolet) habuerit. Hæc tu nobis ediſſere & comproba, ſi contra Ieſuitas præualere cupis; alioquin prçualebunt ipſi, & ſecuri vbiq; viuent, communiti ſcuto innocentiæ contra omnem potentiam & ſapientiam humanam, quæ non rarò ſuſpicionibus & affectibus pro ratione vtitur, & omnia quæcunque poteſt, licere etiam ſibi arbitratur: interdum priuatorum quorundam ſtudiis & odiis, contra inno-

Ieſuitarū exilium à Venetis impoſitum toti Eccleſiæ Catholicæ præiudicat.

Digitized by Google

trà innocentes conceptis,reſiſtere non valens,aut non audens,vel iniuſta vltra æquitatis fines abripitur, & plerunque nonniſi tempore ipſo corrigi ſolet. Deinde eidem auctoritati quam allegas, ſi grauiſſimum totius penè orbis reliqui Chriſtiani iudicium oppoſuero, facilè inimicum os omne obſtruam. Nam ſi auctoritati aliquid tribuendum eſt, tribuendum certè plurimum erit auctoritati tot Regum & Principum Chriſtianorum, tot Rerumpub. tot Senatuum & Ordinum vtriuſque ſtatus,hoc eſt Eccleſiaſtici & ſecularis; qui,quid de Ieſuitis ſentiant,nō tam verbis,quàm rebus ipſis teſtantur, dum tot Domus, Collegia, Seminaria illorum, in ſuis ditionibus retinent, fauore ſingulari proſequuntur,facultatibus ſuis adiuuant,illorum fidei omnem iuuentutem, ſpem poſteritatis ſuæ, erudiendam committunt, ab eorum doctrina & conſiliis dependent, in iis quæ vitæ Chriſtianæ puritatem concernunt, & ſaluti æternæ conſequendæ inſeruiunt. Atq; hanc ſuam ſententiam, quando & quoties occaſio vel neceſſitas poſtulat,ampliſſimis etiam teſtimoniis ſuis atteſtantur.

Venetorum iudicio orbis Chriſtiani iudiciū opponitur.

Quæ ſi ego omnia recenſere hîc vellem, obruerem te penitus: vnum & alterum in lectoris gratiam affero. Carolus nonus Galliarum Rex, cùm Ieſuitarum fidem & diligentiam, in nobiliſſimo quodam adoleſcente, poſtea familiari ſuo, probaſſet, diſertis verbis teſtatus eſt; Ieſuitas non tantum è cathedra peritos eſſe doctores explanandi liberalium artium honeſtiſſimas diſciplinas, ſed etiam egregios magiſtros formandæ & ad virtutem inſtituendæ nobilitatis. Henricus quartus Pater Ludouici duodecimi, (qui nunc apud eoſdem Gallos rerum potitur) Princeps æterna memoria dignus, quid de Ieſuitis ſenſerit, manifeſtè declarauit, copioſo illo teſtimonio ſuo,quod Poſſeuinus (Tom: 3. Appar: Litera S. fol: 234.) Gretſerus (in Stigmat: Miſſenic.) & alij nonnulli, ſcriptis ſuis inſeruerunt, & typis mandarunt. Quilibet illud toties recuſum facilè ad manum habere & legere poteſt. Præſtiterunt idipſum ſæpenumero ex occaſione plures alij Principes Chriſtiani. Exhibuerũt deniq; Vniuerſitates & Academiæ nobiliſſimæ, Ieſuitarum inſtitutum, vel inſigniter approbantes, vel contra aduerſariorum impetus, egregiè defendentes Ergonè Venetiis tantùm Ieſuitæ iidem, hoc eſt ſui ſimiles eſſe non poſſunt, & cœli fortè intemperie aliqua, eo ipſo omnem fidem & religionem exuere coguntur, quòd aura Veneta perfruuntur? Quis id niſi mentis inops credat aut aſſerat? Sed contraho calamum, & finem facio iis refutandis, quæ à te de

Principum aliquot Chriſtianorū de Ieſuitis iudicium.

Poſſeu: Tō: 3. Appar: Lrā: S. fol: 234. Gretſ: in Stigm: Miſſenico 7.

Digitized by Google

à te de fine Ieſuitarum allata ſunt. Hic enim tu ipſe quoque ſubſiſtis, & tranſilis adpraxin & media Ieſuitarum, quibus finem illum à te confictum, perſequi eoſdem exiſtimas; videamus ea, an & quàm rectè cum veritate cohæreant.

ARTICVLVS XIIII.

Ieſuitas nullum fœdus ſuſpectum inter Principes Chriſtianos adornare.

ATque inprimis illud moliri Ieſuitas affirmas: *Vt Reges Europæos quotquot poſſunt, vni cuidam fœderi illigent, fœderis autem Principem & directorem Regem Hiſpaniarum conſtituant.* Vide ne nimium hic Ieſuitis tribuas. Eſt enim in Eccleſia Chriſti, qui huiuſmodi ſplendida opera pro maiori ſua auctoritate qua cæteris omnibus præſtat, eſt inquam Summus Pontifex, qui talia aggredi & perficere commodius ſolet. Et ſi is deeſſet, ſiue Ieſuitæ, ſiue alij quicunque ea præſtarent, ob zelum & ſtudium pacis inter Principes Chriſtianos, à quibus tot populorum ſalus & ſecuritas dependet, conſtituendæ, nonniſi inſignem laudem inde reportarent; neq; minorem referret, quiſquis ille eſſet, qui tam difficilis & laudabilis prouinciæ dirigendæ, munus in ſe ſuſciperet. Sed vnum eſt, quod tibi maximè bilem & ſuſpicionem hic mouet: *Diſtribuitur,* inquis, *vellus aureum ab Hiſpano in Principes Chriſtianos, vt ad eius nutum ſeſe applicare cogantur, ſub hac conditione, vt qui conatibus eius quacũq; ratione intercedit, aut quàm minimum aduerſetur, de hæreſi ſuſpectus ſit, & prædicti velleris periſcelide indignus cenſeatur.* Hic ego à te inprimis quæſiuerim, vbi illam conditionem appoſitam legeris, aut vnde collegeris, cum nemo hactenus de ea ne ſomniauerit quidem? At tu qui plura cæteris omnibus ſomnias & fingis, fingas & illud in rem tuam neceſſe eſt; Vellus illud aureum ex magia naturali vim quandam occultam habere, vt appenſum ilicò animos principum omnium dementet, & ad omnem Regis Hiſpaniarum voluntatem inflectat. Atqui honoris id & beneuolentiæ mutuæ quoddam inſigne eſt, non vero ſubiectionis aut conſpirationis vllius, homo ſtolidiſſime, nec nouum in Chriſtiana Republica, nec eiuſcemodi, quod iure quenquam ſuo exuat, ſed quod ad animorum tantum coniunctionem quandam inter Principes conciliandam inſeruiat, vt in ſe inuicem mutuò amore propendentes, pacem

Vellus aureum quid ſibi vult inter Principes Chriſtianos vſitatum.

populo Chriſtiano illibatam conſeruent, & vnionis huius memores faciliùs inter ſe cohæreant, ſi quæ neceſſitas aliquando Turcas, & alios infideles Chriſtiani nominis hoſtes retundendi ingruat. Tu ſi hæc carpis, ſi in deteriorem partem accipis (quæ nemo alioquin bonus carpere poteſt) fucos imitaris, qui etiam ex optimis & ſuauiſſimis floribus, id quod amariſſimum eſt colligunt, vt mella inde amara conficiant, dignus es planè qui periſcelide non velleris aurei ſed hircini, ad perpetuū dedecus tuum doneris. Et certè ipſa te periſcelidis vox ineptè vſurpata, tali amuleto digniſſimum indicat, teque in tibiis ſuccinctis omnem ſapientiam geſtare manifeſtè arguit.

ARTICVLVS XV.

Ieſuitas non ambire aulam.

Mendaciorum Anonymi congeries refutata.

AFfers deinde alia media (artes tu Ieſuitarum illa appellas) quibus ad finem ſuum conſequendum vtantur. Atq; hic integra mendaciorum plauſtra, quaſi in vnum aceruū cōgeris. Aſſeris enim more tuo audacter: *Ieſuitas aulæ ſeſe vltro inſinuare & ingerere, extra eam viuere grauiſſimum exiſtimare: Clauum Reipub. in ſuam poteſtatem redigere, hoc eſt, (vt ipſe interpretaris) Regi & Reginæ Confeſſarium, Regis filio præceptorem, ex ſuo corpore procurare: Illis dominari quorum norunt in Repub. partes eſſe præcipuas: A Romana aula opibus & conſiliis ſtrenuè iuuari: atq; apud eandem plus poſſe, quàm ipſi Reges potentiſſimi poſſunt: genio ipſorum quandā à natura occultam vim ineſſe, quæ ingeniis aulicis imperat & dominatur: deniq; duo potiſſimum eos in aula paciſci, vt ipſorū mellificatio ex hac Reipub. arce non impediatur: vtq; deinceps aduerſariis ſuis nullū eò refugium pateat.* Hæc tam multa & tam ſplendida mendacia tua quis deſpiceret, ſi aliqua certa ratione, exemplo, teſtimonio, niterentur. Sed ab inſigni ſtultitia tua perſuaderi tibi paſſus es, fore vt nudo verborum apparatu inſtructa ſubſiſterent: atqui hoc ipſo, quòd præter nuda verba contineant nihil, nulla vi impulſuq; indigent vt corruant: per ſe ipſa concidunt ſat ſuperq; confutata, ſi gratis aſſerta, gratis negentur. Ieſuitæ enim, homo mendaciſſime, nunquam ipſi ſe aulæ inſinuant vel obtrudunt, ſed nonniſi Principum inuitatu, & ſuperiorum ſuorum mandato ad eam accedunt, vbi ſeſe excuſare honeſtè non poſſunt: miſſionem petunt vbi poſſunt, vt Scargam feciſſe aliquoties, omnibus cōſtat. Nullum Reipub. clauum ſibi vendicant, nulli prorſus dominantur, nedum iis qui

Digitized by Google

iis qui potiores partes in Repub. tenent; nullis opibus Romanis vtũtur, ſed pietate & liberalitate piorum ſuſtentantur: nihil cũm quoquam paciſcuntur: ingenia aulica, prout cæterorum omnium quibus cum verſantur, virtutum exemplo, morum ſuauitate, eruditione, & alijs id genus rationibus honeſtiſſimis ſibi deuincunt. Præceptoris munus nullum in aula Poloniæ obeunt; quod ſi etiam obirent, facile ſeſe exẽplo Arſeniorum & Hadrianorum tuerentur. Concionatorum verò & Confeſſariorũ munere, vt quod reliquo orbi vniuerſo exhibere parati ſunt, etiam in aula perfunguntur: Viri ſpirituales, ſpiritualia tractant: vitiorum turpitudinem in omnibus inſectantur docent omnem laudem, ſiue in publicis officiis adminiſtrandis, ſiue in priuatis, à virtute quæri oportere. Quare nihil tibi hîc videri noui debet, ſi huiuſmodi homines aulam comitentur. Habuêre & alij Poloni Principes, (vt de externis tam modernis quàm antiquioribus taceam) ſemper penes ſe viros pios, graues, eruditos, virtute præſtantes. Habuêre inquam, Caſimiri, Sigiſmundi, Auguſti, Stephani, ſuos Miechouitas, Auguſtinianos ſeu Canonicos Regulares, Hoſios, Cromeros, Socolouios; quid ni habeat Sigiſmundus tertius, pietate, zelo, vſu rerum, & experientia maioribus ſuis non impar, qui illud probè meminit & intelligit, quod Theodoſius reſpondit cuidam interroganti: Quibuſnam artibus aſſequi Princeps poſſit, vt & optimus & ſapientiſſimus euadat: Si, inquit, & foris, & in conclaui, & in cœna, & in ambulatione, & in pace, & in bello, bonorum & intelligentium conſuetudine delectabitur, cum iisq; quotidie viuet. Idem probatum legimus etiam barbaris Principibus, inter quos, Oſmanes, Vrchanes, & Muretes Turcici Imperij fundatores, quoties ſua conuiuia celebrabant, adhibere ſolebant Taliſmanos, (Sacerdotum id genus apud eos erat) quorum præceptis & admonitionibus inter conuiuandũ aures præbebant. Nam vt rectè Nicephorus ille Gregoras ait: *Ei qui in vna Dei contemplatione mentem defixã habet, mores & ſpeluncas habitare conuenit; at qui vnà cũ virtute mores, etiã ciuiles exercuit & iunxit, quiq; notitiam parauit rerum variarum, ille verè populum & Regem ducere ad optima optimus eſt.* Sed hæc ſufficiant, ad tua illa contra Ieſuitas figmenta. Quibus illorum in aula conuerſationem, quaſi nouam & hominibus ſpiritualibus inuſitatam traducis. Morem illi gerunt hac in parte Principibus & ſuperioribus ſuis, non affectibus indulgent, vt bona vlla tẽporalia aucupentur (quorum iure omni, ſponte ſua ſeſe abdicant) ne-

Principes conuenienter retinent in aulis ſuis viros pios & religioſos.

cant) negotiiſué ſecularibus ſeſe admiſceant; multò verò minus, vt aliis ſuam operam locent in comparandis opibus, aut honoribus acquirendis. Quod dum tu Ieſuitis affingis, te hominem ridiculum planè exhibes, ridendum ab omnibus quotquot ſibi conſcij ſunt, ſe nulla prorſus Ieſuitarum opera intercedente, in Repub. noſtra honores & dignitates varias conſecutos eſſe. Ridebunt iidem fabellam quoque illam tuam, qua fingis audiſſe te, non ſine magno cordis tui vulnere (ſi tamen homo excors, cordis vulnus experiri poteſt) Ieſuitam quendam gloriantem, quòd Patres Societatis in aula multum poſſint. Et quiſnam iſte Ieſuita aut cuias fuit? quare nomen eius aut cognomen non prodis? Nimirum excidit tibi, & inter ſcribendum occurrere non potuit. Sed quomodo non excideret quod nuſquam in rerum natura extitit, niſi fortè in tenuiſſimo cerebro tuo, quod ea etiã effingit, quæ nullibi ſubſiſtunt. Quæris præterea, quid cauſæ ſit, quòd cùm à negotiis Politicis adeò ſe abhorrere Ieſuitæ aſſeuerent, remotionem ab aula tam ægrè ferunt, vt eam inter ſeptem ſupplicia, quæ illis à Politicis iniuſtè infliguntur, numerent. Reſpondeo pro illis; atq; in primis nego illos ægrè ferre ab aula abſentiam; iure illi ſuo vtuntur, ac famæ tantum & bono nomini ſuo conſultũ eſſe cupiunt, cuius demandatam eſſe vnicuiq; curam Sapiens teſtatur, Eccl: 41. Eamq; præſtare cenſet diuitiis & vnguentis pretioſis omnibus. Non illi inquam aula carere incõmodum æſtimant, à qua nulla commoda temporalia expectant; ſed nomine pœnæ ab ea remoueri, facinoroſorũ hominum inſtar, nulla data occaſione, nullius conuicti culpæ, meritò detrectant. Norunt enim illud D. Petri: Nemo veſtrum patiatur, vt homicida, & fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor. norunt & illud Pauli: virum bonum & Chriſtianũ non tantum malo ipſo, ſed etiam mali ſpecie carere oportere. Quare ſi aula ab illis deſerenda eſt, vtiq; deſerenda eo modo, qui bonæ illorum exiſtimationi minimè præiudicet. Euocentur à ſuis legittimis ſuperioribus, à quibus ad eam ſtationem miſſi fuerant; dimittantur à Principibus cum bona illorum gratia, cum qua admiſſi venerant; & tum demum videbis an Ieſuitæ cunctabuntur, imò lætiſſimi ad ſua domicilia commigrabunt, & religioſa ſua quiete fruentur.

Ieſuitæ libenter carent aulis.

1. Pet: 4.

1. Theſſ: 5.

ARTICVLVS XVI.

Ieſuitas conuenientem, vbicunq; ſunt in Ciuitatibus, ſitum & locum obtinere.

Sed tu

SEd tu,vt hæc tua de Ieſuitis figmēta nouis cumules, aliā atque alia ſemper excogitas. Fingis enim inter alia media, quibus ad finem ſibi propoſitum tendant: *Operam illos omnem dare, vt in primariis Regni aut Prouinciæ vrbibus,Seminaria, Collegia,Templa quàm plurima, tanquam inſtantis meſſis ſuæ horrea, vel occupent vel exſtruant;& ita plerumq; conſtruunt, vt ſuis ædificiis ipſa vrbium mœnia complectuntur, eademq; ſibi noctu diuq; peruia faciunt,vt in arcibus, quas Cracouiæ, Vilnæ,Caliſſij, Poſnaniæ habent, videre licet.* At perquàm commodè mihi illud Homericum in te occurrit: Atride ne mentiaris, cùm vera dicere poſſis: Deſine quæſo ineptire aliquando, & te vtroq; nomine ridendum propinare. Ieſuitarum enim Templa, Collegia & Seminaria,nec tam multa ſunt vt tu axaggeras, nec in eum finem,quem tu fingis,poſſidentur. Ordinariè in ciuitatibꝰ vno ſuo templo contenti degunt; Cracouia & Vilna excepta, vbi vno & altero loco collocati ſunt citra cuiuſquā præiudicium, vt pro ſuo inſtituto,copioſiores meſſis, non temporalis ſed ſpiritualis, manipulos in horrea Domini congregent. Hæc tu illorum domicilia cùm arces appellas, neſcis quid dicas,maledicendi ſtudio excœcatus. Multæ enim domus priuatorum ciuium ſunt, quæ illa amplitudine & apparatu longè ſuperant; an tu idcirco totidem ilicò arces ciuitatis numeraueris? Magnam ſanè tibi deberet gratiam Reſpub. noſtra,quæ tam inopinatè tot arcibus aucta floreret, niſi te tam inſignem, non arcium ſed mendaciorum archytectum deprehenderet. Quod verò affirmas prætere Collegia &Templa Ieſuitarum plerunq; ita collocari & conſtrui,vt ſuis ædificiis ipſa vrbium mœnia complectantur, eademq; ſibi noctu diuq; peruia faciant; inſigniter falleris & ſimul fallis. Nam inprimis non deſunt inter ea, quæ à longè mœnia proſpiciant, vt videre eſt Vilnæ & Cracouiæ ad S. Barbaram. Illa verò quæ alicubi ſunt viciniora mœnibus, aut illis contigua, non arte aut ſtudio illic collocata ſunt, ſed neceſſitate & iudicio ac voluntate eorum, qui Ieſuitas in vrbibus collocabant. Plerumq; enim templa, quæ iam olim propè mœnia erant exædificata,illis tradiderunt,& penes ea domicilia ad habitandum conſtruxerunt. Quæ hic Ieſuitarum culpa aut fides ſuſpecta eſſe poteſt? maximè cùm mos iſte patriæ noſtræ, & tot aliorum regnorum per totum Chriſtianum orbem inoleuerit,vt religioſi ordines, quò remotiores eſſent à vulgi ſtrepitu, Deoq; & ſuis muneribus vacarent quietius, extremas ferè vrbium partes occuparent. Certe Cracouiæ ordo S. Spiritus,S. Do-

Ieſuitæ cur aliquando loca mœnibus vicina in Ciuitatibus occupant.

tus, S. Dominici, S. Franciſci, S. Marci, contiguum mœnibus ciuitatis ſitum in hunc vſq; diem retinent, citra vllam prorſus ſuſpicionem fraudis aut proditionis. Et ſanè, ſi res momentis ſuis ponderanda eſt, non ſine maturo conſilio veneranda antiquitas, templa & monaſteria pleraque ad portas & mœnia vrbium collocabat; nimirum his tanquam propugnaculis quibuſdam firmiſſimis munita, tutam & ſecuram ſe exiſtimabat, aduerſus hoſtium omnium viſibilium & inuiſibilium incurſus, iuxta illud Iſa: 62. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Tantum abeſt, vt aliquid ſibi ab illis metueret, & fidem illorum ſuſpectam haberet.

Veterum in deligendo religioſis ſitu pruden tia.

Quod deniq; aſſeris, *in eum finem loca mœnibus vicina occupari à Ieſuitis, vt eadem mœnia ſibi noctu diuq; peruia faciant.* id à vero longè alieniſſimum eſt, & quod te repagula pudoris omnia tranſilire apertè conuincit. Ieſuitæné tibi videntur mœnia ciuitatum habere peruia? Et quæ? aut quarum ciuitatum? Sat ſcio nullum te proferre poſſe exemplum, niſi forte calumniari velis Collegium Poſnanienſe, cui nobiliſſima illa ciuitas, perſpecta fide & integritate Ieſuitarum, & conſiderata difficultate ſitus & aditus; particularis cuiuſdam portæ ciuitatis poteſtatem & vſum conceſſit, magiſtratu vniuerſo approbante. At huiuſmodi priuilegio ita ſobriè Ieſuitæ vtuntur, vt quoties neceſſitas aliqua publica ingruit, ipſi vltro magiſtratui claues afferant, vt ad nutum ſuum iis vtatur; vel ſi ita magis expedire iudicat, portam ipſam muro claudat, vt idem ipſe magiſtratus teſtis eſt huius rei luculentiſſimus. Quare deſine iſta futilia exprobrare Ieſuitis, deſine aliquando mentiri, talia ac tanta illis permitti, quæ Regibus ipſis minimè permitterentur.

Poſnanienſe Collegiũ, qua ratione porta vſum obtinet.

ARTICVLVS XVII.

Curam erudiendæ iuuentutis meritò Ieſuitis committi.

PErgis ſtrenuè, & multiplicas querelas contra Ieſuitas; atq; inter alia illud vehementer doles, quòd curæ eorum iuuentus, ſpes poſteritatis, erudienda comimttatur. Atqui ego primùm dolori huic tuo fatuo, ſapientiſſimum orbis totius Chriſtiani iudicium oppono, qui de induſtria, hac in parte, Ieſuitarum quid ſentiat, re ipſa declarat, dum illis magna cum diligentia & beneuolentia accerſitis, tot domicilia exſtruit vbiq;, vt inter ea pluſquam 300. Collegia numerent inſtituendæ iuuen-

Ieſuitarum Collegia multa.

Digitized by Google

dæ iuuentuti deſtinatur. An tu ſolus ita mentis inops es, vt tot Regna & Prouincias, tot prudentiſſimos Senatus, & oculatos populos hallucinari & circumueniri poſſe exiſtimes? Et quid tandem experientiæ ipſi, quæ rem & fructum omnem, qui è ſcholis Ieſuitarum manat, ob oculos ponit, reſpondebis? an non te coarguent & conuincent calumniæ & mendacij tot viri eruditi, tot Præſules Eccleſiarum, tot Senatuum præſides, tot ciues ſapientiſſimi, qui è ſcholis & academiis Ieſuitarum prodierunt? Deſine itaq; obſtrepere hac in parte Ieſuitis; nam induſtria eorum in iuuentute Chriſtiana, ad omnem pietatem & eruditionẽ excolenda, illuſtrior eſt orbi vniuerſo, quàm vt tu homuncio ignobilis eam furuo iudicio tuo obſcurare poſſis. Sed animi impotens, antequam primum propoſitionis tuæ caput de praxi Ieſuitarum concludas, pergis aliis atq; aliis calumniis onerare eos. *Ais enim illos viam vbiq; munire prouiſoribus, qui Cameræ ſiue ærario publico præſunt, vt in omnia priuatà & publica bona aditus eis pateſiat: mulierculas etiam circumuenire, teſtamentis opulentorum hominum inhiare.* Et quibus obſecro prouiſoribus id officij hactenus præſtiterunt? ad quæ bona Reipub. aut priuati alicuius aditum ſibi pararunt, quas mulierculas circumuenerunt, quibus teſtamentis & legatis per fraudem aucti vnquam fuerunt? Mirum quòd nihil ex his nominatim indicas, nullum certum Ieſuitam eorum omnium inſimulas, nullum ærarij præfectum, nulla priuata aut publica bona commemoras, contentus nudo verborum ſtrepitu, & impudentia fidem quærere, quaſi ilicò mundus omnis, mendacia iſta tua pro oraculis excipere & adorare paratus fuerit, vel eſſe debuerit. At tu nihil hinc aliud metes miſer, quàm vt omnes te hominem mendaciſſimum prædicent; vt qui tam ampla æraria, imò horrea mendaciorum collecta habeas, ex quibus noua ſemper ſpicula contra Ieſuitas conficias, & exhauriri atq; exarmari, (homo videlicet locupletiſſimus & inſtructiſſimus) nunquam poſſis.

E ſcholis Ieſuitarum qui & quales viri prodierunt.

Mendacia anonymi refutata.

ARTICVLVS XVIII.

Ieſuitas ineptè & falſò diſtingui à cæteris religioſis Ordinibus munerum leuiorum repudiatione: falſò item de multis theſauris reconditis inſimulari.

Porrò inter hæc poſteriora commenta tua quæ Ieſuitis imponis, duo mihi ſingulari etiam riſu digniſſima viſa fuêre. Primum eſt,

 quòd in

Digitized by Google

quòd in eo differentiam Ieſuitarum à cæteris religioſorum ordinibus conſtituas. *Quòd Ieſuitæ vulgaria illa munuſcula, quæ in religioſos erogari conſueuerunt, non curant, neq; acceptant, vt maius inde ſiue gloriæ, ſiue lucri pondus ſibi concilient; adeò vt noſſe te inter eos affirmes, qui 50. aureorũ nummũm pretium oblatum repudiarint.* Quàm ineptiebas, dum iſta ſcriberes? Religioſorũ enim ordines, nemo mẽtis compos munerũ acceptatione diſtinxit; ſine enim & medijs ad finem conuenientibus, vt reliqui omnes hominum ſtatus, ab inuicem diſcernuntur; acceptare munera vel legata, omnibus æquè familiare atque vſitatũ eſt, nihil hic ſingulare ſibi Ieſuitæ vendicant, nullo iſta quærunt alio artificio, quàm ſpontanea voluntate vniuſcuiuſque, qui donare aliquid prætendit pietatis & religionis ergo.

Ieſuitæ qua ratione à cæteris religioſis differunt.

Quod autem ad 50. illos nummos vngaricos attinet, quos aſſeris per ſimulationem repudiatos à Ieſuitis, vide inprimis, ne ex tua incude nummi illi falſi prodierint, vide ne (ſi fortè conficti non ſunt) à te ipſo Ieſuitis aliquando obtruſi ſint pretij nomine, vt aliquid per ſacrilegium vel iniuſtitiam tibi conciliarent, ideoq; merito à viris religioſis ac piis repudiati. Mirum illud quoque, quòd ſummam centum talerorum circiter carrucam dixeris, quam aquila minimè captet. Certè quicquid ſit de carruca & aquila, ſi huiuſmodi offam ſiniſtris tuis prædicantibus quiſpiam obiiceret, pſeudoeuangelium ipſum, quod tantopere iactant, ab illis emeret, omnes vel ab ipſo Orco eliceret, & roſtris atque vnguibus pro tam opima præda, citra vllam ſimulationem pietatis, ante ſe pugnantes videret. Alterum, quod à te homine ridiculo ridiculè & leuiſſimè adſcriptum obſeruaui, eſt quòd Ieſuitas affirmas habere & aſſeruare reconditos theſauros in Collegiis, Caliſſienſi, Cracouienſi, Lublinenſi, Vilnenſi, Pultouienſi, Brunsbergenſi. Sanè plauſibilia hæc & noua ſunt; ſed vt magis ac magis eluceſcant, quæro à te hæc pauca, mihiq; reſponderi ad ſingula diſtinctè cupio. Primum, quis ad te retulit, & primus tibi theſauros hoſce indicauit? Dicunt, inquis. Qui? Tui videlicet omnino ſimiles, homines ſtolidi & mendaces, qui cum veris Ieſuitarum vitiis, ſuam nocendi libidinem & famẽ extremam exſatiare non poſſint, huiuſmodi confictis rumoribus, vt onagri ventis paſcuntur, ſeſeque vt poſſunt explent & ſolantur. Deinde & illud quæro, quid cauſæ ſit, quòd cùm tot theſaurorum inuentor factus, tuam patriæ operam nauaſſe & probaſſe fidem videris; nullus tamen hucuſq; repertus ſit, qui ſuo vel patriæ nomine tibi vel minimas

Tabella de hominibus Vngaricis à Ieſuita per ſimilitudinẽ repudiatis, confutatur.

Theſauri Ieſuitarum ab Anonymo cõficti.

gratias

gratias egerit, aut (quod etiam magis mirum videri poteſt) nemo tuam fidem ſecutus, Ieſuitas vel minimo verbo de re tanti momenti compellauerit. Cauſa hic nulla alia, huius tanti ſilentij, in re tanta (vt pro te reſpondeam) reperiri poteſt, quàm quòd nemo te iſta aſſeuerantem, teſtem fide dignum iudicauit, nemo ad hominis leuiſſimi voces & ſcripta, loco ſe mouit. Omnes te contempſerunt, ſiquidem omnes paſſim norunt, prædia & poſſeſſiones Ieſuitarum vbi ſint (non enim inter caucaſeos montes, aut intra ſinus ſublunares latent) & quantum reddant, quot Ieſuitas è ſuis redditibus vbiq; alant. Nemo, te ſolo excepto tuique ſimilibus, vel per ſomnium ingentes illos theſauros & regales prouentus, ad factiones neſcio quas alendas comparatos, fingere potuit. At nemini fortè rem indicare voluiſti, modeſtia & nimia quadam erga Ieſuitas reuerentia impeditus, ne illis proditis, cùm maximè poſſes, obeſſes. Proh tuum hoc in Ieſuitas beneficium, quis pro dignitate æſtimet? quis remuneratione dignum non iudicet? Sanè digniſſimus es cui à Ieſuitis non tantũ gratitudinis nomine, ſed honoris etiã ergo inſigne aliquod munus ex dolio illo Diogenis tui Cynici, vel ſi malis, è profundiori aliqua officina Cynica depromptum, te Cynico Philoſopho non indignum, donetur, quod amuleti loco appenſum collo geſtare poſſis.

SECVNDA SECTIO
ANATOMIÆ.

In qua diſcutiuntur & refelluntur calumniæ, quas ab exemplis petitas Anonymus infert Ieſuitis.

ARTICVLVS XIX.

Regnum Galliarum nunquam fuiſſe à Ieſuitis turbatum, conſiliis aut quæſtionibus vllis.

VEſtigia tua ſecutus, venio ad ſecũdum caput propoſitionis tuæ, in quo polliceris te exemplis, tam domeſticis Patriæ noſtræ,

Digitized by Google

quàm externis, omnia quæ hactenus à te Ieſuitis obiecta ſunt, comprobaturum. Ac primùm allegas Regni Galliarum ſtatum, annis ſuperioribus per Ieſuitas inſigniter turbatum, & multa hinc inde corraſa confuſè iactas, vt fidem huius rei facias. Ego verò mirari ſatis nequeo, quòd vel nomen Galliarum vſurpare amplius auſis, cùm de Ieſuitis tractas. Tot enim Galli ipſi pro Ieſuitis & tam efficaces apologias conſcripſerunt, vt amens furioſusq; ſit, qui Ieſuitas ab omni ſuſpitione vindicatos minimè intelligat. Ita inquam Arnaldos illos cum cæteris rabulis, Ieſuitarum & veritatis ac iuſtitiæ hoſtibus, Galli profligarunt, vt eis æternũ adhuc ſilentium impoſuerint: & tu ſolus obſtrepere adhuc audes? Sed neq; tantopere te mirari ex altera parte debeo, morem videlicet ſecutum gregariorum tuorùm, qui quotieſcunq; Eccleſiam Catholicam impugnant, ita odio & malitia excœcantur, vt centies confutata identidem regerere & repetere non erubeſcant, muſcis hac in parte ſimiles, quæ quoties repelluntur, toties ſiue defectu memoriæ ſtupidæ, ſiue nimia obiecti dulcedine illectæ, & quaſi dementatæ, in idem reuertuntur, vt illud ſi non deguſtent, at inficiant ſaltem. Idem prorſus vobis Eccleſiæ Catholicæ, & Ieſuitarum hoſtibus vſu venit, qui toties reiecti, toties recurritis, & eadem ſemper reſorbere non erubeſcitis, vt contradicendi & obloquendi ſtudio à nemine ſuperari videamini. Mihi verò in præſens ſufficiet inſigniora quædam & penè prodigioſa tua mendacia aperuiſſe, quibus narrationem tuam de Ieſuitarum in Gallia perturbanda ſtudio aſpergis. Et inprimis illud, quod à te primo loco (honoris ſcilicet ergo) ponitur, quis non irrideat? *Affirmas enim Ieſuitas, vt Regem, & regiæ familiæ auctoritatem, in ordinem redigerent, perſonam regiam neci dediſſe.* Cuius obſecro Regis perſonam, Henricum tertium puto intelligis. At vbi eras cùm iſta ſcriberes, hunccine tibi Ieſuitæ occidiſſe videntur, cùm ſole ipſo conſtet clarius, ex ſcriptis & teſtibus oculatis, quorum plurimi adhuc ſuperſunt, quis Henrico tertio necis auctor fuerit, quod nomen eius, quod genus, quæ conditio? Monachus ſiquidem è Dominicana familia is fuit, Iacobus Clemens nuncupatus, homo Ieſuitis penitus antea ignotus, qui quo ſpiritu afflatus, cuius conſilio inductus, Regi tanto manus inferre auſus ſit, in hunc vſq; diem ignoratur, & omnium ſenſu ad Dei ſolius iudiciorum abyſſum occultam reiicitur. Ieſuita hîc nullus, ne per ſomnium quidem vlli in mentem venit, te vno excepto, qui quicquid ſiniſtri in orbe accidit toto, Ieſui-

Hæretici muſcis ſimiles.

Henrici tertii occiſor quis fuerit.

to, Ieſui-

to, Ieſuitam imaginaris & incuſas, vt abs te in dies iam expectemus audire, quendam Ieſuitam ſpecie ſerpentis in paradyſo Euæ poni eſum, Caino fratricidium, Græcis raptum Helenæ perſuaſiſſe.

Subiicis deinde: *ſtratagema quoddam Ieſuitarum in ſtatum Galliæ politicum perpetratum, & eadem qua ſemper ſoles audacia narras, ſub initium Gallici tumultus quæſtionem illam in Gallijs agitari cæptam, & à Ieſuitis excitatam atq; affirmatiuè deciſam: Num Pontifex Regis Galliæ populum à fidelitatis iuramento, quo Regi ſuo obligatur, in caſu hæreſeos abſoluere poſſit. Ex qua oriebatur etiam altera huic admodũ affinis: num cuilibet & priuato, liceat tyrannum propria auctoritate occidere.* Vnum hactenus mendaciis tuis defuit, vt ea per teipſum conuelleres. A Ieſuitis primùm illas quæſtiones moueri in Gallias cæptas aſſeris; at poſt vnam & alteram periodum conſtanter narras, priorem quidem quæſtionem Pontificibus cum Galliæ Regibus iam antea interceſſiſſe, & perpetuorum litigiorum perennem materiam ſuppeditaſſe: poſteriorem verò ante 200. annos deciſam. Conſtitue hic primum apud te, qua parte potius mentiri eligas. Nam vel deciſionis tempus longè poſterius aſſignandum tibi erit, vel aſſerendum Ieſuitas antequam in rerum natura extitiſſent, de his controuerſiam mouere cæpiſſe. Quodſi perfugiũ quærens, dicas te Ieſuitas non primos omninò auctores quæſtionum conſtituere, ſed qui iam antea deciſas, rurſus agitare, rurſus decidere cæperint; ſaltem oſtendas neceſſe eſt, quinam ex illis & quo in loco id præſtiterint; tum vbi id oſtenderis (quod oſtendere poteris nunquam) fatearis tandẽ oportebit, eos nihil in Gallias noui intuliſſe, quod antea iam exagitatum non fuerit. Porrò quod ad poſteriorem illam quæſtionem attinet de tyranno occidendo, (in qua potiſſimum omnium harum calumniarum tuarum ſedem collocare videris) diſcas velim Ieſuitarum hac in parte doctrinam, eandem prorſus eſſe cum Theologorum & Iuris vtriuſq; cõſultorum communi ſententia. Hi enim duo tyrannorum genera diſtinguunt. Vnum eorum, qui Regna & dominia aliorum, nullo iure aut titulo iuſto violenter inuadũt, & contra omnia humana & diuina iura detinẽt. Alterum eorũ, qui legittimè ad Regni & Principatus alicuius gubernacula acciti, ad eum penitus modũ quo tyranni ſolent, Rempub. ſibi creditam adminiſtrant. Ex his duobus tyrannorũ generibus, primum aſſerunt doctores prædicti, eſſe teterrimũ & digniſſimum; in quod etiã priuatis perſonis (maximè ſi à legittimo Principe cum poteſtate ſubmittantur) deſæuire liceat, ſicut deſæuit Iudith in

Anonymus ſibi non cõſtat in mendaciis.

Tyrannum qualem, priuata auctoritate occidere liceat.

dith in

Digitized by Google

dith in Holofernem impium, æterna cum ſui nominis gloria. Poſterius verò illud tyrannorum genus attingere aut lædere homini priuato aut ſubdito, priuata auctoritate nefas eſſe dicunt, exemplo Dauidis, qui Sauli, ſuo & patriæ ob tyrannidem hoſti, nunquam manus inferre auſus eſt, quantumuis iam diuino oraculo eius in Regno ſucceſſorem ſe eſſe deſignatum cognouiſſet. Et hoc ipſum eſt, quod fuit in Concilio Conſtantienſi condemnatum; reprobata videlicet, quæ iam tum à præcurſoribus Anabaptiſtarũ defendebatur ſentẽtia, qui cõtra quemuis tyrannum Principem armis procedendum, eumq; quouis modo, & à quocunq; nullius expectata ſententia, occidendum iudicabant. Quod Catholicorum doctorum ſententiæ ſemper repugnabat, & in hunc vſq; diem repugnat.

ARTICVLVS XX.

Refelluntur varia mendacia, & impoſturæ anonymi contra Ieſuitas.

EX his facilè poſſunt refelli reliqua tua mendacia, quæ occaſione huiuſmodi quæſtionum congeris, vt Ieſuitas traducas: *Nimirum Ieſuitas, deciſiones maiorum antiquas in dubium & controuerſiam adductas annihilaſſe; eoſdem hoc nomine à Sorbona accuſatos fuiſſe: Imo ipſoſmet id non obſcurè confeſſos eſſe, deciſionem illorum Henrico tertio necem attuliſſe, tyrannum ab ipſis appellari, qui quacunq; ratione in Romani Pontificis indignationem & excommunicationem incideret. Hæreticos à Ieſuitis cenſeri, non qui prauas in religione opiniones ſectantur, ſed qui Ieſuitarum artes quocunq; modo impediunt: Venetos à Ieſuitis pro peſtilentiſſimis hæreticis per vniuerſam Italiam proclamari: deniq; Ieſuitas per eandem ſuam de tyrannis deciſionem, Poloniæ quoque noſtræ interitum moliri.* Hæc inquam omnia ſplendidiſſima mendacia ſunt, & tui verticoloſi cerebri propria cõmenta; quæ nullo alio fundamento præterquam maledicendi ſtudio fulta; & ab omni rationis ac veritatis præſidio deſtituta indicaſſe, copioſiſſimè & efficaciſſimè refutaſſe eſt. Tu ſi quid amplius deſideras, extant Apologiæ pro Ieſuitis eruditiſſimè conſcriptæ, Gallicè, Italicè, Latinè, à Richeomo, Montano, Reſcio, & aliis editæ; lege, ſi placet & erubeſce, ſi fortè pudoris iam decocti vel vnam ſcintillam adhuc in te excitare & redintegrare poſſint. Hæc interim ad quæſtiunculas illas tuas de tyranni occiſione, & Summi Pontificis in omnes

Digitized by Google

omnes Principes poteſtate ſufficient; quas tu tamen vt magis ac magis exagites, plauſibili coronide concludis, & fictus Chriſtianæ pietatis zelator, in hæc verba prorumpis: *Quid putas Apoſtolos dicturos fuiſſe, quando Ieroſolymis primum Concilium ſub præſidio Spiritus ſancti celebrabant, ſi religioſus aliquis cum huiuſmodi quæſtione coram eis apparuiſſet?* At magis interroga, quid Apoſtoli dixiſſent de te homine fallaciſſimo, ſi coram illis de tot & tam manifeſtis mendaciis conuictus tunc apparuiſſes? Certè diris te omnibus deuouiſſent, nec effugiſſes Ananiæ & Zaphyræ iudicium, expertuſq; fuiſſes re ipſa poteſtatem Petri, cuius auctoritatem in ſucceſſoribus eius tam audacter carpis. Poſtremo coronidis loco, Poloniæ etiam neſcio quid infauſti à Ieſuitis imminere ominaris; idq; eâ ex parte potiſſimùm, quòd eos à Sereniſſimo Rege noſtro admitti aliquãdo confidentius videas. *Vereriſq; ne illi aliquid grauius ab illis accidat, ſicut accidit Henrico tertio, qui ex Polonia reuerſus, à Ieſuitis tantum non pro Meſsia habitus, paulò poſt verò illorum opera & ſublatus è viuis & ſepultura prohibitus fuit.* At ego te omni iſta ſolicitudine & timore ſtultiſſimo libero, remq; ipſam & experientiam vaniſſimis tuis diuinationibus oppono. Sereniſſimus enim Rex noſter, Ieſuitas iam penè à quadraginta annis nouit, eorumq; fidem erga ſe egregiam & perpetuò conſtantem probauit, nullum in eis veſtigium vnquam fraudis aut artis alicuius dephrændit. Quare deinceps quoque nihil expectare aliud ab illis poteſt, quàm quod optimus Princeps à fideliſſimis ſubditis ſuis expectare ſolet & debet. Quod ad Henricum attinet (quicquid ſit de laudibus, quibus illum non tam Ieſuitarum ordo, quàm Gallia ipſa gratulabunda extulit) tu certè à tribus apertiſſimis mendaciis excuſari hic non potes. Nam contra quàm affirmas, Ieſuitæ neq; illum occidi curarunt, vt ſupra iam oſtendi, nec cadauer eius ſepultura prohibuerunt, cùm non fuerit vnquam in poteſtate illorum: nec deniq; parricidam illum in diuorum Cathalogum retulerunt, quod munus, cùm res & perſonarum ſanctitas poſtulat, ſolius vicarij Chriſti, eiuſdemq; Petri ſucceſſoris proprium eſſe, Eccleſia Catholica agnoſcit. Æquè ſplendida & aperta mendacia ſunt, quæ paulò poſt, alia aliis innectens ſubiungis: *Vt dum aſſeris Ieſuitas, non tantum in Reges & Principes eſſe iniurios, ſed in leges etiam ipſas politicas quas vbique conuellunt. Fecerunt id in Galliis,* inquis, *cùm legem Salicam ad Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis filiam extenderunt: fecerunt in Hungaria, Auſtria, Styria, Carinthia, quando leges, quibus nationum earum libertas nitebatur, oppreſſerunt, tribunal ere-*

A Ieſuitis nihil mali Sereniſſimo Regi imminet.

Digitized by Google

bunal erexerunt, ad quod qui ſiſtere ſe recuſauit, ſolum vertere coactus eſt. At qui obſecro iſti Ieſuitæ tam potentes viri à ſeculo fuerunt, qui tam grandia aggredi & perficere potuerunt? Quid eſt quòd in re tam graui neminem certum auctorem, Ieſuitam inquam, nominas? Quia nimirum nullus vnquam extitit, præter communem illum quendam & vniuerſalem à ſingularibus omnibus abſtractum, qui in cerebro tuo reſidens, quicquid in mundo agitur mali, ſolus agit, & ad nutum ſuum omnia turbat. Nimirum ad inſtar illius Galli Talmudici portentoſi, ad cuius motum, omnes quotquot ſunt in mundo Gallinacei, alas complodunt, & ad cantandum excitantur. Vel ad inſtar bouis illius Alcoranici, qui cornibus terram ſuſtentãs, quotieſcunq; ipſe mouetur, terrã vniuerſam, & quicquid in ea reperitur, exagitat & commouet. Te miſerum, qui nihil edicere contra Ieſuitas potes, niſi huiuſmodi monſtra & portenta fingas, & in cerebro tuo nidificare permittas, digniſſima quæ vnà cum nido ſuo, Vulcano aliquando conſecrentur.

ARTICVLVS XXI.

Vindicatur Scarga à calumniis anonymi.

SEd vt rebus quoque ipſis, & non figmentis tantùm agere videaris, producis tandem in medium Scargam, eiuſq; concionem Warſzauiæ, anno 1606. in Comitiis habitam, veluti murum aheneum, ex quo contra Ieſuitas pugnes, opponis. Aſſeueras te auribus tuis hauſiſſe, è ſuggeſtu detonantem & proclamantem, res Poloniæ eò deueniſſe, vt conſilia ad Rempub. ſpectantia, quæ olim cum ſolis Senatoribus inibantur, iam cum nuntiis etiam terreſtribus cõmunicentur. Quis id ignorat? Reperiri interdum vnum ex iiſdem nuntiis, qui omnia conſilia Reipub. perturbet. Quis id negat? An non ipſe ordo Equeſtris vniuerſus id fatetur & queritur? An non eorundem nuntiorum ſtrictos contra ſe inuicem gladios, (dum alij aliorum comprimere audaciam conantur) aliquando ſpectauit? Quid tu hic falſi aut inordinati à Scarga dictum improbes? Quod ſi ille pro ſuo in patriam zelo vehementioribus id aliquãdo verbis deploret, num idcirco Equeſtrem ordinem à conſiliis Reipub. reiicit, quem auctoritate Reipub. multis & grauibus de cauſis adſcitum ad ea non ignorat, ſed paucorum tantum inſolentiam nulli probatam carpit, qui auream patriæ libertatem tot meri

Scarga iniuſtè ab anonymo traducitur.

tis & la-

tis & laboribus maiorum ſuorum parta abutuntur. Neq; tu probabis vnquam Scargam in Equeſtrem ordinem, Sereniſſimum Regem incitaſſe, aut ſigno vel minimo commouiſſe. Somnia hæc tua & deliria ſunt, quæ nemini ſanæ mentis imponere poteris. Neq; deſunt viri grauiſſimi, & quidem teſtes omni acceptione maiores, qui eidem illi concioni Scargæ ſeſe interfuiſſe, & nihil tale ab ore ipſius audiuiſſe atteſtantur, teq; euidentiſſimi mendacij conuincere ſemper parati ſunt. Et ſane, ſi illi omnes deeſſent, & Scargæ aliquid huiuſmodi excidiſſet, num idcircò Ieſuitæ omnes in vno Scarga deliquiſſe cenſeri deberent, & culpæ ac pœnæ pariter eidem obnoxij iudicari, & non potius Scarga ſolus requiri, vt pro ſe reſponderet, cùm ætatem habeat, & non ſit ille Adam, in quo tanquam in primo humani generis parente omnes peccauerunt. Et verò, ſi peccatum Scargæ tantopere exaggerare tibi placuit, & accuſare tanti in Rempub. criminis, cur non eodem ſupercilio inuectus es in doctiſſimum Epiſcopum, patriæ noſtræ lumen præclariſſimum, & non minus peritia rerum, quàm pietate inſignem virum Martinum Cromerum, qui non vni concioni, ſed vniuerſo orbi voluit palam facere, quantopere ſibi diſpliceret, non quidem inſtitutum nuntiorum terreſtrium ad Comitia admiſſorum, ſed abuſus poteſtatis, qui ſenſim in eum ordinem irrepſit. Qui cùm multis & diſertiſſimis verbis aperuiſſet, vnde hæc nuntiorum authoritas profluxerit, & quantum ſibi arrogare cœperit, tandem ſuam hac de re ſententiam ſubiunxit: *Eſt quidem* (inquit) *ſalutare admodum in Repub. eſſe cuſtodes libertatis communis: cæterum prouidendum eſt etiam atq; etiam, ne quod ad ſalutem comparatum eſt, abuſu vertatur in perniciem, metuendumq́; eſt, ne infinita illa poteſtas in licentiam erumpens, euerſa Regia Maieſtate, & auctoritate Senatoria, ſummam Reipub. confuſionem Polo: aliquando pariat, aut certè graui & acerba tyrannide finiatur.* Hæc Cromerus. Cuius ſcripta omnium teruntur manibus, & mirificè laudantur à doctiſſimis viris; eadem boni ciues omnes probarunt ſemper; Rex & Senatus in Comitiis publicè gratiis actis, hominem Senatoria ſella donarunt. Soliné obſcuro & anonymo homuncioni hæc diſplicebunt? Cùm non ordinem ſublatum eſſe cupiat, ſed vt proſpiciatur, præcauet, ne iuniores & imperitiores rerum, atq; hoc ipſo audaciores ad id munus obeundum legantur, idemq; ſe à magnis & prudentibus viris & Senatoribus ſæpe audiuiſſe, idem Cromerus teſtatur. Sed placuit tibi potius contra Scargam, quàm contra quemuis

populo Chriſtiano illibatam conſeruent, & vnionis huius memores faciliùs inter ſe cohæreant, ſi quæ neceſſitas aliquando Turcas, & alios infideles Chriſtiani nominis hoſtes retundendi ingruat. Tu ſi hæc carpis, ſi in deteriorem partem accipis (quæ nemo alioquin bonus carpere poteſt) fucos imitaris, qui etiam ex optimis & ſuauiſſimis floribus, id quod amariſſimum eſt colligunt, vt mella inde amara conficiant, dignus es planè qui periſcelide non velleris aurei ſed hircini, ad perpetuũ dedecus tuum doneris. Et certè ipſa te periſcelidis vox ineptè vſurpata, tali amuleto digniſſimum indicat, teque in tibiis ſuccinctis omnem ſapientiam geſtare manifeſtè arguit.

ARTICVLVS XV.

Ieſuitas non ambire aulam.

Mendaciorum Anonymi congeries refutata.

AFfers deinde alia media (artes tu Ieſuitarum illa appellas) quibus ad finem ſuum conſequendum vtantur. Atq; hic integra mendaciorum plauſtra, quaſi in vnum aceruũ cõgeris. Aſſeris enim more tuo audacter: *Ieſuitas aulæ ſeſe vltro inſinuare & ingerere, extra eam viuere grauiſſimum exiſtimare: Clauum Reipub. in ſuam poteſtatem redigere, hoc eſt, (vt ipſe interpretaris) Regi & Reginæ Confeſſarium, Regis filio præceptorem, ex ſuo corpore procurare: Illis dominari quorum norunt in Repub. partes eſſe præcipuas: A Romana aula opibus & conſiliis ſtrenuè iuuari: atq; apud eandem plus poſſe, quàm ipſi Reges potentiſſimi poſſunt: genio ipſorum quandã à natura occultam vim ineſſe, quæ ingeniis aulicis imperat & dominatur: deniq; duo potiſſimum eos in aula paciſci, vt ipſorũ mellificatio ex hac Reipub. arce non impediatur: vtq; deinceps aduerſariis ſuis nullũ eò refugium pateat.* Hæc tam multa & tam ſplendida mendacia tua quis deſpiceret, ſi aliqua certa ratione, exemplo, teſtimonio, niterentur. Sed ab inſigni ſtultitia tua perſuaderi tibi paſſus es, fore vt nudo verborum apparatu inſtructa ſubſiſterent: atqui hoc ipſo, quòd præter nuda verba contineant nihil, nulla vi impulſuq; indigent vt corruant: per ſe ipſa concidunt ſat ſuperq; confutata, ſi gratis aſſerta, gratis negentur. Ieſuitæ enim, homo mendaciſſime, nunquam ipſi ſe aulæ inſinuant vel obtrudunt, ſed nonniſi Principum inuitatu, & ſuperiorum ſuorum mandato ad eam accedunt, vbi ſeſe excuſare honeſtè non poſſunt: miſſionem petunt vbi poſſunt, vt Scargam feciſſe aliquoties, omnibus cõſtat. Nullum Reipub. clauum ſibi vendicant, nulli prorſus dominantur, nedum iis qui

Digitized by Google

iis qui potiores partes in Repub. tenent; nullis opibus Romanis vtūtur, ſed pietate & liberalitate piorum ſuſtentantur: nihil cum quoquam paciſcuntur: ingenia aulica, prout cæterorum omnium quibus cum verſantur, virtutum exemplo, morum ſuauitate, eruditione, & alijs id genus rationibus honeſtiſſimis ſibi deuincunt. Præceptoris munus nullum in aula Poloniæ obeunt; quod ſi etiam obirent, facile ſeſe exē-plo Arſeniorum & Hadrianorum tuerentur. Concionatorum verò & Confeſſariorū munere, vt quod reliquo orbi vniuerſo exhibere parati ſunt, etiam in aula perfunguntur: Viri ſpirituales, ſpiritualia tra-ctant: vitiorum turpitudinem in omnibus inſectantur docent omnem laudem, ſiue in publicis officiis adminiſtrandis, ſiue in priuatis, à virtu-te quæri oportere. Quare nihil tibi hîc videri noui debet, ſi huiuſmodi homines aulam comitentur. Habuêre & alij Poloni Principes, (vt de externis tam modernis quàm antiquioribus taceam) ſemper penes ſe viros pios, graues, eruditos, virtute præſtantes. Habuêre inquam, Caſi-miri, Sigiſmundi, Auguſti, Stephani, ſuos Miechouitas, Auguſtinia-nos ſeu Canonicos Regulares, Hoſios, Cromeros, Socolouios; quid ni habeat Sigiſmundus tertius, pietate, zelo, vſu rerum, & experientia maioribus ſuis non impar, qui illud probè meminit & intelligit, quod Theodoſius reſpondit cuidam interroganti: Quibuſnam artibus aſſequi Princeps poſſit, vt & optimus & ſapientiſſimus euadat: Si, inquit, & foris, & in conclaui, & in cœna, & in ambulatione, & in pace, & in bello, bonorum & intelligentium conſuetudine delectabi-tur, cum iisq; quotidie viuet. Idem probatum legimus etiam barbaris Principibus, inter quos, Oſmanes, Vrchanes, & Muretes Turcici Im-perij fundatores, quoties ſua conuiuia celebrabant, adhibere ſolebant Taliſmanos, (Sacerdotum id genus apud eos erat) quorum præceptis & admonitionibus inter conuiuandū aures præbebant. Nam vt rectè Ni-cephorꝰ ille Gregoras ait: *Ei qui in vna Dei contemplatione mentem defixā habet, mores & ſpeluncas habitare conuenit; at qui vnà cū virtute mores, etiā ciuiles exer-cuit & iunxit, quiq; notitiam parauit rerum variarum, ille verè populum & Regem ducere ad optima optimus eſt.* Sed hæc ſufficiant, ad tua illa contra Ieſuitas figmenta. Quibus illorum in aula conuerſationem, quaſi nouam & hominibus ſpiritualibus inuſitatam traducis. Morem illi gerunt hac in parte Principibus & ſuperioribus ſuis, non affectibus indulgent, vt bo-na vlla tēporalia aucupentur (quorum iure omni, ſponte ſua ſeſe abdi-cant) ne-

Principes conuenienter retinent in aulis ſuis viros pios & religioſos.

cant) negotiiſué ſecularibus ſeſe admiſceant; multò verò minus, vt aliis ſuam operam locent in comparandis opibus, aut honoribus acquirendis. Quod dum tu Ieſuitis affingis, te hominem ridiculum planè exhibes, ridendum ab omnibus quotquot ſibi conſcij ſunt, ſe nulla prorſus Ieſuitarum opera intercedente, in Repub. noſtra honores & dignitates varias conſecutos eſſe. Ridebunt iidem fabellam quoque illam tuam, qua fingis audiſſe te, non ſine magno cordis tui vulnere (ſi tamen homo excors, cordis vulnus experiri poteſt) Ieſuitam quendam gloriantem, quòd Patres Societatis in aula multum poſſint. Et quiſnam iſte Ieſuita aut cuias fuit? quare nomen eius aut cognomen non prodis? Nimirum excidit tibi, & inter ſcribendum occurrere non potuit. Sed quomodo non excideret quod nuſquam in rerum natura extitit, niſi fortè in tenuiſſimo cerebro tuo, quod ea etiã effingit, quæ nullibi ſubſiſtunt. Quæris præterea, quid cauſæ ſit, quòd cùm à negotiis Politicis adeò ſe abhorrere Ieſuitæ aſſeuerent, remotionem ab aula tam ægrè ferunt, vt eam inter ſeptem ſupplicia, quæ illis à Politicis iniuſtè infliguntur, numerent. Reſpondeo pro illis; atq; in primis nego illos ægrè ferre ab aula abſentiam; iure illi ſuo vtuntur, ac famæ tantum & bono nomini ſuo conſultũ eſſe cupiunt, cuius demandatam eſſe vnicuiq; curam Sapiens teſtatur, Eccl: 41. Eamq; præſtare cenſet diuitiis & vnguentis pretioſis omnibus. Non illi inquam aula carere incõmodum æſtimant, à qua nulla commoda temporalia expectant; ſed nomine pœnæ ab ea remoueri, facinoroſorũ hominum inſtar, nulla data occaſione, nullius conuicti culpæ, meritò detrectant. Norunt enim illud D. Petri: Nemo veſtrum patiatur, vt homicida, & fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor. norunt & illud Pauli: virum bonum & Chriſtianũ non tantum malo ipſo, ſed etiam mali ſpecie carere oportere. Quare ſi aula ab illis deſerenda eſt, vtiq; deſerenda eo modo, qui bonæ illorum exiſtimationi minimè præiudicet. Euocentur à ſuis legitimis ſuperioribus, à quibus ad eam ſtationem miſſi fuerant; dimittantur à Principibus cum bona illorum gratia, cum qua admiſſi venerant; & tum demum videbis an Ieſuitæ cunctabuntur, imò lætiſſimi ad ſua domicilia commigrabunt, & religioſa ſua quiete fruentur.

Ieſuitæ libenter carent aulis.

1. Pet: 4.
1. Theſſ: 5.

ARTICVLVS XVI.

Ieſuitas conuenientem, vbicunq; ſunt in Ciuitatibus, ſitum & locum obtinere.

Sed tu

SEd tu,vt hæc tua de Ieſuitis figmẽta nouis cumules, aliá atque alia ſemper excogitas. Fingis enim inter alia media, quibus ad finem ſibi propoſitum tendant: *Operam illos omnem dare, vt in primariis Regni aut Prouinciæ vrbibus,Seminaria, Collegia,Templa quàm plurima, tanquam inſtantis meſſis ſuæ horrea, vel occupent vel exſtruant;& ita plerumq; conſtruunt, vt ſuis ædificiis ipſa vrbium mœnia complectuntur, eademq; ſibi noctu diuq; peruia faciunt,vt in arcibus, quas Cracouiæ, Vilnæ, Caliſſij, Poſnaniæ habent, videre licet.* At perquàm commodè mihi illud Homericum in te occurrit: Atride ne mentiaris, cùm vera dicere poſſis: Deſine quæſo ineptire aliquando, & te vtroq; nomine ridendum propinare. Ieſuitarum enim Templa, Collegia & Seminaria,nec tam multa ſunt vt tu axaggeras, nec in eum finem,quem tu fingis,poſſidentur. Ordinariè in ciuitatib9 vno ſuo templo contenti degunt; Cracouia & Vilna excepta, vbi vno & altero loco collocati ſunt citra cuiuſquã præiudicium, vt pro ſuo inſtituto,copioſiores meſſis, non temporalis ſed ſpiritualis, manipulos in horrea Domini congregent. Hæc tu illorum domicilia cùm arces appellas, neſcis quid dicas,maledicendi ſtudio excœcatus. Multæ enim domus priuatorum ciuium ſunt, quæ illa amplitudine & apparatu longè ſuperant; an tu idcirco totidem ilicò arces ciuitatis numeraueris? Magnam ſanè tibi deberet gratiam Reſpub. noſtra,quæ tam inopinatè tot arcibus aucta floreret, niſi te tam inſignem, non arcium ſed mendaciorum archytectum deprehenderet. Quod verò affirmas præterea Collegia & Templa Ieſuitarum plerunq; ita collocari & conſtrui,vt ſuis ædificiis ipſa vrbium mœnia complectantur, eademq; ſibi noctu diuq; peruia faciant; inſigniter falleris & ſimul fallis. Nam inprimis non deſunt inter ea, quæ à longè mœnia proſpiciant, vt videre eſt Vilnæ & Cracouiæ ad S. Barbaram. Illa verò quæ alicubi ſunt viciniora mœnibus, aut illis contigua, non arte aut ſtudio illic collocata ſunt, ſed neceſſitate & iudicio ac voluntate eorum, qui Ieſuitas in vrbibus collocabant. Plerumq; enim templa, quæ iam olim propè mœnia erant exædificata, illis tradiderunt, & penes ea domicilia ad habitandum conſtruxerunt. Quæ hic Ieſuitarum culpa aut fides ſuſpecta eſſe poteſt? maximè cùm mos iſte patriæ noſtræ, & tot aliorum regnorum per totum Chriſtianum orbem inoleuerit, vt religioſi ordines, quò remotiores eſſent à vulgi ſtrepitu, Deoq; & ſuis muneribus vacarent quietiùs, extremas ferè vrbium partes occuparent. Certe Cracouiæ ordo S. Spiritus, S. Do-

Ieſuitæ cur aliquando loca mœnibus vicina in Ciuitatibus occupant.

ritus,S.Do-

Digitized by Google

tus, S. Dominici, S. Franciſci, S. Marci, contiguum mœnibus ciuitatis ſitum in hunc vſq; diem retinent, citra vllam prorſus ſuſpicionem fraudis aut proditionis. Et ſanè, ſi res momentis ſuis ponderanda eſt, non ſine maturo conſilio veneranda antiquitas, templa & monaſteria pleraque ad portas & mœnia vrbium collocabat; nimirum his tanquam propugnaculis quibuſdam firmiſſimis munita, tutam & ſecuram ſe exiſtimabat, aduerſus hoſtium omnium viſibilium & inuiſibilium incurſus, iuxta illud Iſa: 62. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Tantum abeſt, vt aliquid ſibi ab illis metueret, & fidem illorum ſuſpectam haberet.

Veterum in deligendo religioſis ſitu prudentia.

Quod deniq; aſſeris, *in eum finem loca mœnibus vicina occupari à Ieſuitis, vt eadem mœnia ſibi noctu diuq; peruia faciant.* id à vero longè alieniſſimum eſt, & quod te repagula pudoris omnia tranſilire apertè conuincit. Ieſuitæné tibi videntur mœnia ciuitatum habere peruia? Et quæ? aut quarum ciuitatum? Sat ſcio nullum te proferre poſſe exemplum, niſi forte calumniari velis Collegium Poſnanienſe, cui nobiliſſima illa ciuitas, perſpecta fide & integritate Ieſuitarum, & conſiderata difficultate ſitus & aditus; particularis cuiuſdam portæ ciuitatis poteſtatem & vſum conceſſit, magiſtratu vniuerſo approbante. At huiuſmodi priuilegio ita ſobriè Ieſuitæ vtuntur, vt quoties neceſſitas aliqua publica ingruit, ipſi vltro magiſtratui claues afferant, vt ad nutum ſuum iis vtatur; vel ſi ita magis expedire iudicat, portam ipſam muro claudat, vt idem ipſe magiſtratus teſtis eſt huius rei luculentiſſimus. Quare deſine iſta futilia exprobrare Ieſuitis, deſine aliquando mentiri, talia ac tanta illis permitti, quæ Regibus ipſis minimè permitterentur.

Poſnanienſe Collegiũ, qua ratione portæ vſum obtinet.

ARTICVLVS XVII.

Curam erudiendæ iuuentutis meritò Ieſuitis committi.

PErgis ſtrenuè, & multiplicas querelas contra Ieſuitas; atq; inter alia illud vehementer doles, quòd curæ eorum iuuentus, ſpes poſteritatis, erudienda comimttatur. Atqui ego primùm dolori huic tuo fatuo, ſapientiſſimum orbis totius Chriſtiani iudicium oppono, qui de induſtria, hac in parte, Ieſuitarum quid ſentiat, re ipſa declarat, dum illis magna cum diligentia & beneuolentia accerſitis, tot domicilia exſtruit vbiq;, vt inter ea pluſquam 300. Collegia numerent inſtituendæ iuuen-

Ieſuitarum Collegia multa.

Digitized by Google

dæ iuuentuti deſtinatur. An tu ſolus ita mentis inops es, vt tot Regna & Prouincias, tot prudentiſſimos Senatus, & oculatos populos hallucinari & circumueniri poſſe exiſtimes? Et quid tandem experientiæ ipſi, quæ rem & fructum omnem, qui è ſcholis Ieſuitarum manat, ob oculos ponit, reſpondebis? an non te coarguent & conuincent calumniæ & mendacij tot viri eruditi, tot Præſules Eccleſiarum, tot Senatuum præſides, tot ciues ſapientiſſimi, qui è ſcholis & academiis Ieſuitarum prodierunt? Deſine itaq; obſtrepere hac in parte Ieſuitis; nam induſtria eorum in iuuentute Chriſtiana, ad omnem pietatem & eruditionẽ excolenda, illuſtrior eſt orbi vniuerſo, quàm vt tu homuncio ignobilis eam furuo iudicio tuo obſcurare poſſis. Sed animi impotens, antequam primum propoſitionis tuæ caput de praxi Ieſuitarum concludas, pergis aliis atq; aliis calumniis onerare eos. *Ais enim illos viam vbiq; munire prouiſoribus, qui Cameræ ſiue ærario publico præſunt, vt in omnia priuatà & publica bona aditus eis pateſiat: mulierculas etiam circumuenire, teſtamentis opulentorum hominum inhiare.* Et quibus obſecro prouiſoribus id officij hactenus præſtiterunt? ad quæ bona Reipub. aut priuati alicuius aditum ſibi pararunt, quas mulierculas circumuenerunt, quibus teſtamentis & legatis per fraudem aucti vnquam fuerunt? Mirum quòd nihil ex his nominatim indicas, nullum certum Ieſuitam eorum omnium inſimulas, nullum ærarij præfectum, nulla priuata aut publica bona commemoras, contentus nudo verborum ſtrepitu, & impudentia fidem quærere, quaſi ilicò mundus omnis, mendacia iſta tua pro oraculis excipere & adorare paratus fuerit, vel eſſe debuerit. At tu nihil hinc aliud metes miſer, quàm vt omnes te hominem mendaciſſimum prædicent; vt qui tam ampla æraria, imò horrea mendaciorum collecta habeas, ex quibus noua ſemper ſpicula contra Ieſuitas conficias, & exhauriri atq; exarmari, (homo videlicet locupletiſſimus & inſtructiſſimus) nunquam poſſis.

E ſcholis Ieſuitarum qui & quales viri prodierunt.

Mendacia anonymi refutata.

ARTICVLVS XVIII.

Ieſuitas ineptè & falsò diſtingui à cæteris religioſis Ordinibus munerum leuiorum repudiatione: falſò item de multis theſauris reconditis inſimulari.

PORRÒ inter hæc poſteriora commenta tua quæ Ieſuitis imponis, duo mihi ſingulari etiam riſu digniſſima viſa fuère. Primum eſt,

Digitized by Google

quòd in eo differentiam Ieſuitarum à cæteris religioſorum ordinibus conſtituas. *Quòd Ieſuitæ vulgaria illa munuſcula, quæ in religioſos erogari conſueuerunt, non curant, neq; acceptant, vt maius inde ſiue gloriæ, ſiue lucri pondus ſibi concilient; adeò vt noſſe te inter eos affirmes, qui 50. aureorũ nummũm pretium oblatum repudiárint.* Quàm ineptiebas, dum iſta ſcriberes? Religioſorũ enim ordines, nemo mẽtis compos munerũ acceptatione diſtinxit; fine enim & medijs ad finem conuenientibus, vt reliqui omnes hominum ſtatus, ab inuicem diſcernuntur; acceptare munera vel legata, omnibus æquè familiare atque vſitatũ eſt, nihil hic ſingulare ſibi Ieſuitæ vendicant, nullo iſta quærunt alio artificio, quàm ſpontanea voluntate vniuſcuiuſque, qui donare aliquid prætendit pietatis & religionis ergo.

Ieſuitæ qua ratione à cæteris religioſis differunt.

Quod autem ad 50. illos nummos vngaricos attinet, quos aſſeris per ſimulationem repudiatos à Ieſuitis, vide inprimis, ne ex tua incude nummi illi falſi prodierint, vide ne (ſi fortè conficti non ſunt) à te ipſo Ieſuitis aliquando obtruſi ſint pretij nomine, vt aliquid per ſacrilegium vel iniuſtitiam tibi conciliarent, ideoq; merito à viris religioſis ac piis repudiati. Mirum illud quoque, quòd ſummam centum talerorum circiter carrucam dixeris, quam aquila minimè captet. Certè quicquid ſit de carruca & aquila, ſi huiuſmodi offam ſiniſtris tuis prædicantibus quiſpiam obiiceret, pſeudoeuangelium ipſum, quod tantopere iactant, ab illis emeret, omnes vel ab ipſo Orco eliceret, & roſtris atque vnguibus pro tam opima præda, citra vllam ſimulationem pietatis, ante ſe pugnantes videret. Alterum, quod à te homine ridiculo ridiculé & leuiſſimè adſcriptum obſeruaui, eſt quòd Ieſuitas affirmas habere & aſſeruare reconditos theſauros in Collegiis, Caliſſienſi, Cracouienſi, Lublinenſi, Vilnenſi, Pultouienſi, Brunsbergenſi. Sanè plauſibilia hæc & noua ſunt; ſed vt magis ac magis eluceſcant, quæro à te hæc pauca, mihiq; reſponderi ad ſingula diſtinctè cupio. Primum, quis ad te retulit, & primus tibi theſauros hoſce indicauit? Dicunt, inquis. Qui? Tui videlicet omnino ſimiles, homines ſtolidi & mendaces, qui cum veris Ieſuitarum vitiis, ſuam nocendi libidinem & famẽ extremam exſatiare non poſſint, huiuſmodi confictis rumoribus, vt onagri ventis paſcuntur, ſeſeque vt poſſunt explent & ſolantur. Deinde & illud quæro, quid cauſæ ſit, quòd cùm tot theſaurorum inuentor factus, tuam patriæ operam nauaſſe & probaſſe fidem videris; nullus tamen hucuſq; repertus ſit, qui ſuo vel patriæ nomine tibi vel minimas

Tabella de hominibus Vngaricis à Ieſuita per ſimilitudinẽ repudiatis, confutatur.

Theſauri Ieſuitarum ab Anonymo cõficti.

gratias

gratias egerit, aut (quod etiam magis mirum videri poteſt) nemo tuam fidem ſecutus, Ieſuitas vel minimo verbo de re tanti momenti compellauerit. Cauſa hic nulla alia, huius tanti ſilentij, in re tanta (vt pro te reſpondeam) reperiri poteſt, quàm quòd nemo te iſta aſſeuerantem, teſtem fide dignum iudicauit, nemo ad hominis leuiſſimi voces & ſcripta, loco ſe mouit. Omnes te contempſerunt, ſiquidem omnes paſſim norunt, prædia & poſſeſſiones Ieſuitarum vbi ſint (non enim inter caucaſeos montes, aut intra ſinus ſublunares latent) & quantum reddant, quot Ieſuitas è ſuis redditibus vbiq; alant. Nemo, te ſolo excepto tuique ſimilibus, vel per ſomnium ingentes illos theſauros & regales prouentus, ad factiones neſcio quas alendas comparatos, fingere potuit. At nemini fortè rem indicare voluiſti, modeſtia & nimia quadam erga Ieſuitas reuerentia impeditus, ne illis proditis, cùm maximè poſſes, obeſſes. Proh tuum hoc in Ieſuitas beneficium, quis pro dignitate æſtimet? quis remuneratione dignum non iudicet? Sanè digniſſimus es cui à Ieſuitis non tantũ gratitudinis nomine, ſed honoris etiã ergo inſigne aliquod munus ex dolio illo Diogenis tui Cynici, vel ſi malis, è profundiori aliqua officina Cynica depromptum, te Cynico Philoſopho non indignum, donetur, quod amuleti loco appenſum collo geſtare poſſis.

SECVNDA SECTIO
ANATOMIÆ.

In qua diſcutiuntur & refelluntur calumniæ, quas ab exemplis petitas Anonymus infert Ieſuitis.

ARTICVLVS XIX.

Regnum Galliarum nunquam fuiſſe à Ieſuitis turbatum, conſiliis aut quæſtionibus vllis.

VEſtigia tua ſecutus, venio ad ſecũdum caput propoſitionis tuæ, in quo polliceris te exemplis, tam domeſticis Patriæ noſtræ, quàm ex-

quàm externis, omnia quæ hactenus à te Ieſuitis obiecta ſunt, comprobaturum. Ac primùm allegas Regni Galliarum ſtatum, annis ſuperioribus per Ieſuitas inſigniter turbatum, & multa hinc inde corraſa confuſè iactas, vt fidem huius rei facias. Ego verò mirari ſatis nequeo, quòd vel nomen Galliarum vſurpare amplius auſis, cùm de Ieſuitis tractas. Tot enim Galli ipſi pro Ieſuitis & tam efficaces apologias conſcripſerunt, vt amens furioſusq; ſit, qui Ieſuitas ab omni ſuſpitione vindicatos minimè intelligat. Ita inquam Arnaldos illos cum cæteris rabulis, Ieſuitarum & veritatis ac iuſtitiæ hoſtibus, Galli profligarunt, vt eis æternũ adhuc ſilentium impoſuerint: & tu ſolus obſtrepere adhuc audes? Sed neq; tantopere te mirari ex altera parte debeo, morem videlicet ſecutum gregariorum tuorùm, qui quotieſcunq; Eccleſiam Catholicam impugnant, ita odio & malitia excœcantur, vt centies confutata identidem regerere & repetere non erubeſcant, muſcis hac in parte ſimiles, quæ quoties repelluntur, toties ſiue defectu memoriæ ſtupidæ, ſiue nimia obiecti dulcedine illectæ, & quaſi dementatæ, in idem reuertuntur, vt illud ſi non deguſtent, at inficiant ſaltem. Idem prorſus vobis Eccleſiæ Catholicæ, & Ieſuitarum hoſtibus vſu venit, qui toties reiecti, toties recurritis, & eadem ſemper reſorbere non erubeſcitis, vt contradicendi & obloquendi ſtudio à nemine ſuperari videamini. Mihi verò in præſens ſufficiet inſigniora quædam & penè prodigioſa tua mendacia aperuiſſe, quibus narrationem tuam de Ieſuitarum in Gallia perturbanda ſtudio aſpergis. Et inprimis illud, quod à te primo loco (honoris ſcilicet ergo) ponitur, quis non irrideat? *Affirmas enim Ieſuitas, vt Regem, & regiæ familiæ auctoritatem, in ordinem redigerent, perſonam regiam neci dedidiſſe.* Cuius obſecro Regis perſonam, Henricum tertium puto intelligis. At vbi eras cùm iſta ſcriberes, hunccine tibi Ieſuitæ occidiſſe videntur, cùm ſole ipſo conſtet clarius, ex ſcriptis & teſtibus oculatis, quorum plurimi adhuc ſuperſunt, quis Henrico tertio necis auctor fuerit, quod nomen eius, quod genus, quæ conditio? Monachus ſiquidem è Dominicana familia is fuit, Iacobus Clemens nuncupatus, homo Ieſuitis penitus antea ignotus, qui quo ſpiritu afflatus, cuius conſilio inductus, Regi tanto manus inferre auſus ſit, in hunc vſq; diem ignoratur, & omnium ſenſu ad Dei ſolius iudiciorum abyſſum occultam reiicitur. Ieſuita hîc nullus, ne per ſomnium quidem vlli in mentem venit, te vno excepto, qui quicquid ſiniſtri in orbe accidit toto, Ieſui-

Hæretici muſcis ſimiles.

Henrici tertii occiſor quis fuerit.

to, Ieſui-

to, Ieſuitam imaginaris & incuſas, vt abs te in dies iam expectemus audire, quendam Ieſuitam ſpecie ſerpentis in paradyſo Euæ poni eſum, Caino fratricidium, Græcis raptum Helenæ perſuaſiſſe.

Subiicis deinde: *ſtratagema quoddam Ieſuitarum in ſtatum Galliæ politicum perpetratum, & eadem qua ſemper ſoles audacia narras, ſub initium Gallici tumultus quæſtionem illam in Gallis agitari cæptam, & à Ieſuitis excitatam atq; affirmatiuè deciſam: Num Pontifex Regis Galliæ populum à fidelitatis iuramento, quo Regi ſuo obligatur, in caſu hæreſeos abſoluere poſſit. Ex qua oriebatur etiam altera huic admodũ affinis: num cuilibet & priuato, liceat tyrannum propria auctoritate occidere.* Vnum hactenus mendaciis tuis defuit, vt ea per teipſum conuelleres. A Ieſuitis primùm illas quæſtiones moueri in Gallias cæptas aſſeris; at poſt vnam & alteram periodum conſtanter narras, priorem quidem quæſtionem Pontificibus cum Galliæ Regibus iam antea interceſſiſſe, & perpetuorum litigiorum perennem materiam ſuppeditaſſe: poſteriorem verò ante 200. annos deciſam. Conſtitue hic primum apud te, qua parte potius mentiri eligas. Nam vel deciſionis tempus longè poſterius aſſignandum tibi erit, vel aſſerendum Ieſuitas antequam in rerum natura extitiſſent, de his controuerſiam mouere cæpiſſe. Quodſi perfugiũ quærens, dicas te Ieſuitas non primos omninò auctores quæſtionum conſtituere, ſed qui iam antea deciſas, rurſus agitare, rurſus decidere cæperint; ſaltem oſtendas neceſſe eſt, quinam ex illis & quo in loco id præſtiterint; tum vbi id oſtenderis (quod oſtendere poteris nunquam) fatearis tandẽ oportebit, eos nihil in Gallias noui intuliſſe, quod antea iam exagitatum non fuerit. Porrò quod ad poſteriorem illam quæſtionem attinet de tyranno occidendo, (in qua potiſſimum omnium harum calumniarum tuarum ſedem collocare videris) diſcas velim Ieſuitarum hac in parte doctrinam, eandem prorſus eſſe cum Theologorum & Iuris vtriuſq; cõſultorum communi ſententia. Hi enim duo tyrannorum genera diſtinguunt. Vnum eorum, qui Regna & dominia aliorum, nullo iure aut titulo iuſto violenter inuadũt, & contra omnia humana & diuina iura detinẽt. Alterum eorũ, qui legittimè ad Regni & Principatus alicuius gubernacula acciti, ad eum penitus modũ quo tyranni ſolent, Rempub. ſibi creditam adminiſtrant. Ex his duobus tyrannorũ generibus, primum aſſerunt doctores prædicti, eſſe teterrimũ & digniſſimum; in quod etiã priuatis perſonis (maximè ſi à legittimo Principe cum poteſtate ſubmittantur) deſæuire liceat, ſicut deſæuit Iudith in

Anonymus ſibi non cõſtat in mendaciis.

Tyrannum qualem, priuata auctoritate occidere liceat.

dith in

Digitized by Google

dith in Holofernem impium, æterna cum ſui nominis gloria. Poſterius verò illud tyrannorum genus attingere aut lædere homini priuato aut ſubdito, priuata auctoritate nefas eſſe dicunt, exemplo Dauidis, qui Sauli, ſuo & patriæ ob tyrannidem hoſti, nunquam manus inferre auſus eſt, quantumuis iam diuino oraculo eius in Regno ſucceſſorem ſe eſſe deſignatum cognouiſſet. Et hoc ipſum eſt, quod fuit in Concilio Conſtantienſi condemnatum; reprobata videlicet, quæ iam tum à præcurſoribus Anabaptiſtarũ defendebatur ſentẽtia, qui cõtra quemuis tyrannum Principem armis procedendum, eumq; quouis modo, & à quocunq; nullius expectata ſententia, occidendum iudicabant. Quod Catholicorum doctorum ſententiæ ſemper repugnabat, & in hunc vſq; diem repugnat.

ARTICVLVS XX.

Refelluntur varia mendacia, & imposturæ anonymi contra Ieſuitas.

EX his facilè poſſunt refelli reliqua tua mendacia, quæ occaſione huiuſmodi quæſtionum congeris, vt Ieſuitas traducas: *Nimirum Ieſuitas, deciſiones maiorum antiquas in dubium & controuerſiam adductas annihilaſſe; eoſdem hoc nomine à Sorbona accuſatos fuiſſe: Imo ipſoſmet id non obſcurè confeſſos eſſe, deciſionem illorum Henrico tertio necem attuliſſe, tyrannum ab ipſis appellari, qui quacunq; ratione in Romani Pontificis indignationem & excommunicationem incideret. Hæreticos à Ieſuitis cenſeri, non qui prauas in religione opiniones ſectantur, ſed qui Ieſuitarum artes quocunq; modo impediunt: Venetos à Ieſuitis pro peſtilentiſſimis hæreticis per vniuerſam Italiam praclamari: deniq; Ieſuitas per eandem ſuam de tyrannis deciſionem, Poloniæ quoque noſtræ interitum moliri.* Hæc inquam omnia ſplendidiſſima mendacia ſunt, & tui verticoloſi cerebri propria cõmenta; quæ nullo alio fundamento præterquam maledicendi ſtudio fulta; & ab omni rationis ac veritatis præſidio deſtituta indicaſſe, copioſiſſimè & efficaciſſimè refutaſſe eſt. Tu ſi quid amplius deſideras, extant Apologiæ pro Ieſuitis eruditiſſimè conſcriptæ, Gallicè, Italicè, Latinè, à Richeomo, Montano, Reſcio, & aliis editæ; lege, ſi placet & erubeſce, ſi fortè pudoris iam decocti vel vnam ſcintillam adhuc in te excitare & redintegrare poſſint. Hæc interim ad quæſtiunculas illas tuas de tyranni occiſione, & Summi Pontificis in

omnes

Digitized by Google

omnes Principes poteſtate ſufficient; quas tu tamen vt magis ac magis exagites, plauſibili coronide concludis, & fictus Chriſtianæ pietatis zelator, in hæc verba prorumpis: *Quid putas Apoſtolos dicturos fuiſſe, quando Ieroſolymis primum Concilium ſub præſidio Spiritus ſancti celebrabant, ſi religioſus aliquis cum huiuſmodi quæſtione coram eis apparuiſſet?* At magis interroga, quid Apoſtoli dixiſſent de te homine fallaciſſimo, ſi coram illis de tot & tam manifeſtis mendaciis conuictus tunc apparuiſſes? Certè diris te omnibus deuouiſſent, nec effugiſſes Ananiæ & Zaphyræ iudicium, expertuſq; fuiſſes in te ipſa poteſtatem Petri, cuius auctoritatem in ſucceſſoribus eius tam audacter carpis. Poſtremo coronidis loco, Poloniæ etiam neſcio quid infauſti à Ieſuitis imminere ominaris; idq; ea ex parte potiſſimùm, quòd eos à Sereniſſimo Rege noſtro admitti aliquãdo confidentius videas. *Vererisq; ne illi aliquid grauius ab illis accidat, ſicut accidit Henrico tertio, qui ex Polonia reuerſus, à Ieſuitis tantum non pro Meſſia habitus, paulò poſt verò illorum opera & ſublatus è viuis & ſepultura prohibitus fuit.* At ego te omni iſta ſolicitudine & timore ſtultiſſimo libero, remq; ipſam & experientiam vaniſſimis tuis diuinationibus oppono. Sereniſſimus enim Rex noſter, Ieſuitas iam penè à quadraginta annis nouit, eorumq; fidem erga ſe egregiam & perpetuò conſtantem probauit, nullum in eis veſtigium vnquam fraudis aut artis alicuius depræhendit. Quare deinceps quoque nihil expectare aliud ab illis poteſt, quàm quod optimus Princeps à fideliſſimis ſubditis ſuis expectare ſolet & debet. Quod ad Henricum attinet (quicquid ſit de laudibus, quibus illum non tam Ieſuitarum ordo, quàm Gallia ipſa gratulabunda extulit) tu certè à tribus apertiſſimis mendaciis excuſari hic non potes. Nam contra quàm affirmas, Ieſuitæ neq; illum occidi curarunt, vt ſupra iam oſtendi, nec cadauer eius ſepultura prohibuerunt, cùm non fuerit vnquam in poteſtate illorum: nec deniq; parricidam illum in diuorum Cathalogum retulerunt, quod munus, cùm res & perſonarum ſanctitas poſtulat, ſolius vicarij Chriſti, eiuſdemq; Petri ſucceſſoris proprium eſſe, Eccleſia Catholica agnoſcit.

A Ieſuitis nihil mali Sereniſſimo Regi imminet.

Æquè ſplendida & aperta mendacia ſunt, quæ paulò poſt, alia aliis innectens ſubiungis: *Vt dum aſſeris Ieſuitas, non tantum in Reges & Principes eſſe iniurios, ſed in leges etiam ipſas politicas quas vbique conuellunt. Fecerunt id in Galliis,* inquis, *cùm legem Salicam ad Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis filiam extenderunt: fecerunt in Hungaria, Auſtria, Styria, Carinthia, quando leges, quibus nationum earum libertas nitebatur, oppreſſerunt, tribunal ere-*

bunal erexerunt, ad quod qui ſiſtere ſe recuſauit, ſolum vertere coactus eſt. At qui obſecro iſti Ieſuitæ tam potentes viri à ſeculo fuerunt, qui tam grandia aggredi & perficere potuerunt? Quid eſt quòd in re tam graui neminem certum auctorem, Ieſuitam inquam, nominas? Quia nimirum nullus vnquam extitit, præter communem illum quendam & vniuerſalem à ſingularibus omnibus abſtractum, qui in cerebro tuo reſidens, quicquid in mundo agitur mali, ſolus agit, & ad nutum ſuum omnia turbat. Nimirum ad inſtar illius Galli Talmudici portentoſi, ad cuius motum, omnes quotquot ſunt in mundo Gallinacei, alas complodunt, & ad cantandum excitantur. Vel ad inſtar bouis illius Alcoranici, qui cornibus terram ſuſtentās, quotieſcunq; ipſe mouetur, terrã vniuerſam, & quicquid in ea reperitur, exagitat & commouet. Te miſerum, qui nihil edicere contra Ieſuitas potes, niſi huiuſmodi monſtra & portenta fingas, & in cerebro tuo nidificare permittas, digniſſima quæ vnà cum nido ſuo, Vulcano aliquando conſecrentur.

ARTICVLVS XXI.

Vindicatur Scarga à calumniis anonymi.

SEd vt rebus quoque ipſis, & non figmentis tantùm agere videaris, producis tandem in medium Scargam, eiuſq; concionem Warſzauiæ, anno 1606. in Comitiis habitam, veluti murum aheneum, ex quo contra Ieſuitas pugnes, opponis. Aſſeueras te auribus tuis hauſiſſe, è ſuggeſtu detonantem & proclamantem, res Poloniæ eò deueniſſe, vt conſilia ad Rempub. ſpectantia, quæ olim cum ſolis Senatoribus inibantur, iam cum nuntiis etiam terreſtribus cõmunicentur. Quis id ignorat? Reperiri interdum vnum ex iiſdem nuntiis, qui omnia conſilia Reipub. perturbet. Quis id negat? An non ipſe ordo Equeſtris vniuerſus id fatetur & queritur? An non eorundem nuntiorum ſtrictos contra ſe inuicem gladios, (dum alij aliorum comprimere audaciam conantur) aliquando ſpectauit? Quid tu hic falſi aut inordinati à Scarga dictum improbes? Quod ſi ille pro ſuo in patriam zelo vehementioribus id aliquãdo verbis deploret, num idcirco Equeſtrem ordinem à conſiliis Reipub. reiicit, quem auctoritate Reipub. multis & grauibus de cauſis adſcitum ad ea non ignorat, ſed paucorum tantum inſolentiam nulli probatam carpit, qui auream patriæ libertatem tot meri-

Scarga iniuſtè ab anonymo traducitur.

tis & la-

Digitized by Google

tis & laboribus maiorum ſuorum parta abutuntur. Neq; tu probabis vnquam Scargam in Equeſtrem ordinem, Sereniſſimum Regem incitaſſe, aut ſigno vel minimo commouiſſe. Somnia hæc tua & deliria ſunt, quæ nemini ſanæ mentis imponere poteris. Neq; deſunt viri grauiſſimi, & quidem teſtes omni acceptione maiores, qui eidem illi concioni Scargæ ſeſe interfuiſſe, & nihil tale ab ore ipſius audiuiſſe atteſtantur, teq; euidentiſſimi mendacij conuincere ſemper parati ſunt. Et ſanè, ſi illi omnes deeſſent, & Scargæ aliquid huiuſmodi excidiſſet, num idcircò Ieſuitæ omnes in vno Scarga deliquiſſe cenſeri deberent, & culpæ ac pœnæ pariter eidem obnoxij iudicari, & non potius Scarga ſolus requiri, vt pro ſe reſponderet, cùm ætatem habeat, & non ſit ille Adam, in quo tanquam in primo humani generis parente omnes peccauerunt. Et verò, ſi peccatum Scargæ tantopere exaggerare tibi placuit, & accuſare tanti in Rempub. criminis, cur non eodem ſupercilio inuectus es in doctiſſimum Epiſcopum, patriæ noſtræ lumen præclariſſimum, & non minus peritia rerum, quàm pietate inſignem virum Martinum Cromerum, qui non vni concioni, ſed vniuerſo orbi voluit palam facere, quantopere ſibi diſpliceret, non quidem inſtitutum nuntiorum terreſtrium ad Comitia admiſſorum, ſed abuſus poteſtatis, qui ſenſim in eum ordinem irrepſit. Qui cùm multis & diſertiſſimis verbis aperuiſſet, vnde hæc nuntiorum authoritas profluxerit, & quantum ſibi arrogare cæperit, tandem ſuam hac de re ſententiam ſubiunxit: *Eſt quidem* (inquit) *ſalutare admodum in Repub. eſſe cuſtodes libertatis communis: cæterum prouidendum eſt etiam atq; etiam, ne quod ad ſalutem comparatum eſt, abuſu vertatur in perniciem, metuendumq; eſt, ne infinita illa poteſtas in licentiam erumpens, euerſa Regia Maieſtate, & auctoritate Senatoria, ſummam Reipub. confuſionem Polo: aliquando pariat, aut certè graui & acerba tyrannide finiatur.* Hæc Cromerus. Cuius ſcripta omnium teruntur manibus, & mirificè laudantur à doctiſſimis viris; eadem boni ciues omnes probarunt ſemper; Rex & Senatus in Comitiis publicè gratiis actis, hominem Senatoria ſella donarunt. Soliné obſcuro & anonymo homuncioni hæc diſplicebunt? Cùm non ordinem ſublatum eſſe cupiat, ſed vt proſpiciatur, præcauet, ne iuniores & imperitiores rerum, atq; hoc ipſo audaciores ad id munus obeundum legantur, idemq; ſe à magnis & prudentibus viris & Senatoribus ſæpe audiuiſſe, idem Cromerus teſtatur. Sed placuit tibi potius contra Scargam, quàm contra quemuis

 alium ſul-

alium fulminaſſe, vt gratiam tantò maiorem apud tuos promereri poſ-ſes, quantò maioribus odiis Scargam, quàm cæteros Patres Societatis IESV, proſequuntur. Hic enim vir cùm in luce hominum verſetur, & à tanto tempore Regis Eccleſiaſtes ſit, maleuolorum omnium, ſed præcipuè hæreticorum oculos in ſe conuertit, qui obſeruant quicquid ille dixerit, vt mendacia verbis illius malè intellectis vel expoſitis ali-qua aſſuant, ne planè impudenter mentiri videantur. Quàm multos ego deierantes audiui, & aſſerentes hæc & illa Scargam in certis con-cionibus dixiſſe, quibus cùm ego ipſe interfuerim, nihil tamen huiuſ-modi audiuerim. Non ferunt illi ſiquidem concionantem Scargam, quòd omnes hæreticorum detegat artes, quòd politicos ab illis de-mentatos ab erroribus reuocare conetur, quòd deniq; ſubtilioribus & curioſis quæſtionibus prætermiſſis, ea potiſſimum tractet, quæ ad ex-citandam pietatem, ad morum corruptorum emendationem, ad con-cordiam & charitatem mutuò colendam & conſeruandam cõducunt: Hominem certè diuinitus huic Regno datum, cui anteacta ſecula pau-cos tulere pares, ſiue pietatem & grauitatem illius ſpectes, ſiue illam diſertam & raræ facundiæ linguam, ſiue animum ad humanitatem & affabilitatem propenſum, vt potè verum Petri illius ſummi, cui Domi-nus paſcendas commiſit oues, cognominem & imitatorem: cuius a-nimus hactenus nec laboribus potuit frangi, nec ætate quæ decrepi-tæ proxima eſt, fatigari, nec concionibus & aſſiduis ſcriptionibus con-fici. Multum illi tribuit aula, multum Clerus vniuerſus, & cæteri omnes quotquot ſcripta eius diſertiſſima manibus terunt, ac per ea in lege di-uina, & animarum ſuarum profectu erudiri ſeſe plurimum ſentiunt. Sed & politicis ipſis, ſi modo fateri volunt verum, non parum contulit eloquentia illius ad comparandum terſioris & politioris linguæ vſum; cùm nemo aptiùs aſperiora verba ad ſuauiorem deflexit ſonum, nemo puriorem loquendi normam ex genuina Sclauorum lingua petitam, in noſtras haſce oras inuexerit. Sed hæc de mei amantiſſimo Scarga.

Scargam cur præ cæteris non ferunt hæretici & politici.

Scarga laudatus.

ARTICVLVS XXII.

Confœderatio non ſine ratione à Ieſuitis impugnatur, & quanam potiſſimùm.

Tandem

TAndem vt ſecundum caput conſilij tui cum applauſu quodam concludas, Ieſuitaſq; probes pacis eſſe publicæ hoſtes, cõfœderationem, à qua pacem religionis & tranquillitatem Reipublicæ dependere vis, ab illis vehementer oppugnatam obiicis. Fateor ipſe quoque, Ieſuitas confœderationi minus fauere; neq; enim id ipſi publicis, tum ſcriptis, tum concionibus diſſimulare ſolent. Sed næ tu vehementer erras, qui confœderationem tam præſtans bonum, & publicæ paci conſeruandæ opportunum exiſtimas. Quod vt clarè intelligas, & Ieſuitarum in ea profliganda ſtudium æquiſſimum agnoſcas, non grauabor hic in tui tuorumq; gratiam, (ſi fortè aliquando clariſſimam veritatis lucem aſpicere poſſitis) rationes aliquot grauiſſimas, quibus id confirmem, breuiter afferre. Arrige aures, & ſingula ſuis momentis expende, vt aliquando deſipere deſinas. Atque vt inter nos de principiis conſtet, confœderationem eam potiſſimum hic intelligo & impugno, pro qua tu maximè pugnas, vt eam ſartam tectam conſerues, & legibus patriæ adſcribas. Nimirùm, quæ quatuor illa placita nominatim continet & exigit. Primum, vt liceat vnicuiq; de templis ditionis ſuæ, ſtatuere & facere quod libet. Secundum, vt cauſa religionis nullus puniatur, ab vllô magiſtratu. Tertium, vt liceat vnicuiq; ſequi, quamcunque religionem, vel ſectam voluerit. Quartum, vt de rebus & poſſeſſionibus Catholicarũ Eccleſiarum, occupatis ab hæreticis, tranſigatur compoſitione aliqua. De hac ergo confœderatione nobis præſens concertatio eſt; quo loco habenda ſit, an boni communis & pacis conſeruatrix, an verò potius omnis perturbationis altrix & parens cenſenda. Ego eam pacis eſſe inimicam, & diſſidiorum omnium matrem, ſex potiſſimum rationibus, totidem articulis ſequentibus comprehenſis, ſic demonſtro.

ARTICVLVS XXIII.

Explicatur prima ratio, demonſtrans confœderationem pacis publicæ eſſe inimicam, ex eo quod omnibus ſectis etiam maximè contrariis inter ſe, viam muniat.

PRIMA RATIO. Amicitiam veram inter ciues, iudiciorum maximè & voluntatum vnione, conſtare ſenſerunt ſemper ſapientes omnes, quotquot de conſeruanda Republica benè ordinata leges aut

Digitized by Google

Sapientum de conſeruanda Repub. ſententia.

conſilia de lere, abſq; ea nullam ſocietatem vtilem, nullam ciuitatem tutam & ſecuram eſſe poſſe cenſuêre: vſq; adeò, vt in condendis legibus, maiorem rationem amicitiæ & vnionis ciuium, quàm iuſtitiæ ipſius pernęceſſariæ alioquin virtutis, habuiſſe videantur. Ex hac ſapientiſſimorum virorum ſententia veriſſima atq; certiſſima, euidenter colligo, illud maximè ad pacem & tranquillitatem Reipub. conferre, quod ad mutuam ciuium beneuolentiam conciliandam, maximè confert. Et è contra, illud pacem turbare publicam, quod conſenſum animorum inter ciues perturbat; ac proinde ſic aduerſum te in re præſenti concludo: Confœderatio tua, ciuium animos inter ſe vehementer diſiungit, & ad omnem diſcordiam exacuit: pacis ergo publicæ non conſeruatrix, ſed inſidiatrix & oppugnatrix cenſenda eſt. Negabis tu fortè eā ciuiū animos diſiungere. At ego id conuinco probo q; efficaciſſimè ex eo, quòd omnibus prorſus ſectis, quæ hacten⁹ extitêre, aut extabunt in poſterum, liberum eundemq; impunem in Rempublicam aditum patefaciat. Quid enim, ſi tu vel tui ſimilis quiſpiam, contempto Dei vnius veri cultu, Iouem, Martem, Venerem, & alia huiuſmodi gentilitiæ ſuperſtitionis portenta colere velit. Quis prohibere poterit, aut ſaluo confœderationis iure audebit? Alius fortè probabit magis Turciſmum, vt potè, qui per placita Alcorani ſui, & varias ſectas tolerat, & vnumquemq; in ſua ſaluum fieri poſſe profitetur. Quis ei repugnabit? Iudaiſmum ſectabitur alius, quis impediet? Hæreſim quamcunq; etiam abſurdiſſimam ſibi ſectandam deliget, quis reprehendet? quis te deniq; remorari poterit, quominus in omnes errores & ſectas præceps ruas; & poſtquam te omnibus exſatiaueris, ad ipſum tandem atheiſmum deuoluaris, atq; cum Diagora nullum eſſe Deum, nullam prouidentiam ſentias? An non apertè deprahenderunt hunc profectum & progreſſum impietatis Miniſtri ipſi Scotiæ in Præfatione Bibliorum ſuorum; vbi apertè fatentur, ex quo nouum Euangelium eſſe cœpit, innumeros etiam Atheos in illo regno eſſe cœpiſſe. Confirmauit idem inſigni exemplo ſuo Natalis ille, qui ex Caluiniano Atheus factus, cùm Anno Domini, 1582. Metis in Lotaringia compræhenſus à Magiſtratu interrogaretur, qua tandem via ad atheiſmum perueniſſet? reſpondit quod res erat, Caluini inſtitutionibus ſe id acceptū referre; in iis enim cùm legiſſet peccatorum omnium Deum fuiſſe auctorem, eoq; fine maiorem partem hominum condidiſſe, vt æternis

Confœderatio ciuium animos maximè diſiūgit inter ſe. Eadem omnibus ſectis viam aperit.

Atheiſmi cauſa Caluiniſmus extitit Natali cuidam.

poſtea

Digitized by Google

poſtea ſuppliciis afficeret; maluiſſe ſe aiebat, nullum credere eſſe Deum, quàm talem credere, qui ſcelerum auctor eſſet.

Age tu ergo iam, & libertatem hanc omnem, ſeu quiduis, ſeu nihil maius prorſ9 credendi tibi inprimis vendicaui tũ quibusuis aliis cõcede: Aduoca ſupranominatas ſectas omnes,& intra viſcera Reipub.colloca, per domos & familias diſtribue; iuribus patriæ adſcribe; lege noua confœderationis omnes aſſecura, vt impunè credere & profiteri cuiq; quod libet liceat; ſana & ſynagogas ſingulis exſtrue. Ecquid tandem conſecuturum exiſtimas? Pacemné & mutuum inter ciues animorum conſenſum? Tu ſi ita ſentis, ſenſu prorſus omni cares. Nam ſectæ inprimis illæ omnes inter ſe peſſimè cohærent, contrariis principiis nituntur,fines ſibi contrarios propoſitos habent,mediis ad eos cõſequendos contrariis contendunt. Deinde ciues indigenas noſtros in varia ſtudia diſtrahent, à religione auita, quam à maioribus ſuis per iſtos ſexcentos annos traditam conſtanter tenuerunt, auertent, nouarum rerum ſtudioſos excitabunt, & omnem mouebunt lapidem, vt ſingulæ poſt ſe, ſectatores plurimos abducant. Et tu iſthæc omnia ſalua pace, & coniunctione animorum,perfici poſſe ſomnias? Somnias planè,& vanis fantaſmatum imaginibus deluſus, falſa pro veris approbas,aliiſq; offundis. Ieroboam quondam,vt diſiunctionem animorum inter ciues ſuos foueret & perpetuam conſeruaret, vnius duntaxat falſæ religionis cultu ſubintroducto id perfecit. Et tu nouus Ieroboam, nouo ſtratagemate,ſectarum inquam omnium colluuie in patriam noſtram inuecta,ſummam quandam pacem & tranquillitatem nobis polliceris? Abi homo vaniſſime, & Chymeras iſtas maleſani capitis tui, tui ſimilibus obtrude. Ex iis qui ratione ducuntur & agunt,illas perſuadebis nemini.

Sectarum varietas diſſidia pariſ.

3. Reg: 12.

ARTICVLVS XXIIII.

Secunda ratio, quæ oſtendit confœderationem, ſeipſam deſtruere, & committere illos inter ſe,qui eam promouent.

EAdem libertas credendi quiduis, ſeipſam confundit & deſtruit. Cùm enim varias & inter ſe pugnantes ſectas(vt paulò ante commemoraui) ſecum neceſſariò afferat, harum aliæ alias impietatis & blaſphemiæ condemnabunt,& conſequenter pœnis à lege diuina propoſitis

Digitized by Google

poſitis coërcendas iudicabunt. Qui enim blaſphemauerit nomen Domini, ait ſcriptura, morte moriatur, lapidibus opprimet eũ omnis multitudo populi, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit. Vnde & Nabuchodonozor rex, alioquin gentilis, zelans cultum veri Dei, quem miraculo triũ puerorum conſeruatorum in igne agnouerat, legem tulit, atq; per omnes imperij ſui Prouincias huiuſmodi edictum promulgari fecit, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcunque locuta fuerit blaſphemiam, contra Deum Sidrach, Miſag, Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur. Paulus etiam Apoſtolus Himenæum & Alexandrum ob blaſphemiam, ſathanæ tradidit. Quid tu putas facturos, tot & tam varios ſectarios, ſe inuicem blaſphemiæ accuſantes? Certè vel contra tot & tam aperta legis diuina mandata atq; exempla, aduerſus tot ſcripturæ teſtimonia, quam alioquin plenis buccis crepare ſolent, blaſphemos repugnante etiam conſcientia tolerare debebunt, vel ſeſe inuicem ad pœnas illas, à Deo præſcriptas depoſcent, & ad arma prouocabunt. An non apertè id noſtro hoc ſeculo præſeferunt, dum ſeipſos mutuò ſedibus pellunt, dum nullum maledicentiæ finem inter ſe faciunt, nullum iniuriæ genus prætermittunt. Lege ſcripta illorum conuitiis mutuis pleniſſima, quibus ſeſe mutuò proſcindunt; excipe conciones ipſorum conuitiis redundantes; peragra regiones quas incolunt; excurre in Angliam, Scotiam, Galliam, vbiq; Ægyptios videbis concurrere cõtra Ægyptios, Libertinos contra Caluiniſtas & Arianos; Lutherani ex Saxonia Caluiniſtas pepulerunt, Caluiniſtæ Lutheranos à Palatinatu Rheni excluſerunt. Et nonnè iſtud eſt mirabile prorſus in oculis noſtris? quòd fraterculi iſti, neq; ſeipſos inter ſe, neq; Catholicos tolerare poſſunt, & tamen volunt omnes à Catholicis nõ tolerari ſolummodò, ſed legibus etiam publicis aſſecurari? Vt ipſi tolerentur, illam maximè rationẽ vrgẽt, vt ſua libertas fidei & cõſcientiæ vnicuiq; integra cõſtet: at ſi hæc ratio vera eſt, omnibus opitulari debet; ſin falſa, nulli penitus.

Leu: 24. Dan: 3.

1. Tim: 1.

Sectæ variæ ſeſe inuicem blaſphemiæ accuſant & ad pœnas depoſcunt.

Sectarum diſſidia.

ARTICVLVS XXV.

Tertia ratio ab auctoritate hæreſiarcharum præcipuorum, qui confœderationem damnant.

SI confœderatio, ſi conſcientiæ inquam & religionis libertas tantopere ad pacem conſeruandam eſt neceſſaria, quid putas cauſæ eſt, cur

Digitized by Google

eſt, cur ex numero eorum, qui confœderationem efflagitant, & minis atq; armis etiam extorquent, præcipui quiq; noui Euangelij duces & doctores, dum de ſua quique ſecta conſeruanda agunt, apertè eandem impugnant & prohibent. Lege Caluinum in præfatione ad lectorem de Pſychopannychia; lege quæ multò etiam clarius Beza eius diſcipulus, (mali corui alioquin malum ouum) in quadam ſua epiſtola ſcribit, in qua inter cætera, illa pulcherrima verba habet, digniſſima quæ in valuis vel etiam in frontibus omnium, qui confœderationem & religionis libertatem vrgent, inſcribantur: *Libertatem* (inquit) *conſcientiis permittere, ſinere vnumquemq; ſi volet perire, merè diabolicum dogma eſt; & hæc illa eſt diabolica libertas, quæ Poloniam & Tranſyluaniam hodie tot peſtibus impleuit, quas nullæ alioquin ſub ſole religiones tolerarent,* Potuitné clarioribus & grauioribus verbis exprimere, quid conſcientia, quid ratio ipſa dictet, quid Reipub. pax & tranquillitas poſtulet? Hæc verò ſi vera ſunt, prout puto eſſe veriſſima, (neq; enim Beza quidquam verius vnquam ſcripſit) erunt non minus vera quæ ex illis conſequuntur. Nimirum, eodem iure & nomine Catholicos, negare poſſe religionis libertatem, quo Beza negat, vt ſuam ſectam ſartam tectam conſeruet. Et ſi diabolicum dogma eſt, & diabolica libertas, libertatem conſcientiarum permittere; certè eam negare diabolicum nouerit.

Epi: Theo: pag: 20. *Beza de confœderatione ſententia.*

ARTICVLVS XXVI.

Quarta ratio ab exemplo hæreticorum, qui pacis publicæ cauſa libertatem religionis, pœnis & legibus publicis à ſuis dominiis arcent.

Libertatem religionis & conſcientiæ, non tantum verbis ipſi improbant & carpunt, præcones eiuſdem libertatis, (vt iam paulò ante oſtendi) ſed etiam re ipſa ab illis Regnis & Prouinciis in quibus præualent, grauiſſimis pœnis propoſitis arcent, perduellionis & criminis leſæ Maieſtatis, iuxta conſcientiam ſuam viuentes accuſant, eoſdem bonis omnibus ſpoliant, & exquiſitiſſimis tormentis excruciant; & cùm de cauſa & ratione horum omnium poſtulantur, eam potiſſimum afferunt, vt omni offendiculo & occaſione diſſenſionis de religione è medio ſublata, & quoad fieri poteſt penitus eradicata, optatiſſima

Digitized by Google

tiſſima pace & tranquillitatẽ Reipub. fruantur. Ergo cenſent libertatem religionis omnem, paci & tranquillitati publicæ vehementer obſiſtere. Qua fronte itaq; obſecro, Principibus & Rebuſpublicis Catholicis ſuadere audebunt aut poterunt, eandem libertatem religionis ad pacem publicam in eorum regnis & dominiis conſeruandam, plurimùm conferre?

ARTICVLVS XXVII.

Quinta ratio, quæ probat eos, qui confœderationem vrgent, ſeipſos non intelligere, & pro pace bella & tumultus accerſere.

Confœderatio iuribus & cõſuetudinibus Poloniæ maximè contraria.

QVi confœderationem ſeu libertatem religionis in Polona noſtra Repub. ſub pacis prætextu vrgent, ſeipſos non intelligunt, nec quid dicant agantué aduertunt. Nam dum ex præſcripto confœderationis, non tantum credendi quiduis libertatem, ſed etiam vſurpãdi iura & bona Eccleſiaſtica, vnicuique priuato, qui ea intra fines ditionis ſuæ habuerit, auctoritatem impunem tribuunt, pro pace publica, inteſtina odia & diſſidia, in extremam patriæ perniciem inducunt. Et inprimis ſtatus ipſos ſeu ordines Regni, deinde familias nobilium, dominos deniq; cum ſuis ſubditis inter ſe committunt. Quod ſic oſtendo & euinco prorſus. Plerique nobiles noſtri, in ſuis bonis ſeu poſſeſſionibus, templa varia, erecta, & iuriſdictioni Epiſcoporum ab ipſa ſtatim fundationum & erectionum origine, ſubiecta habent. Hi ſi libertatem omnem cuiuſcunque religionis vel ſectæ introducendæ aut exercendæ ſibi vſurpabunt, (prout iam multos feciſſe re ipſa conſtat) nonné ſimul vſurpabunt etiam iuriſdictionem Epiſcoporum, penes quos erat adminiſtrandarum & prouidendarum Eccleſiarum ius perpetuum, ipſis patriæ legibus firmatum? Tacebunt ergo Epiſcopi, & ius ſuum violari contra fas omne æquo animo ferent? non conquerentur de iniuria? iura ſua non requirent? aut violatores eorum, de vi & de repetundis non poſtulabunt? Quod ſi autem poſtulauerint, an non ij qui abſtulerant, id grauiter ferent? an non & ipſi libertatis ſuæ, in complectenda religione quacunq; ſub confœderationis titulo, iura prætendent, & pro illis decertabunt? Et vero pax & tranquillitas inter Eccleſiaſticum & Secularem ordinem tot legibus firmata, tot ſeculis ſanctè obſeruata, à qua ſecundum Deum, bonũ Reipub.

Digitized by Google

Reipub. noſtræ dependet, vbi erit? Porro ea ſublata, neque inter ipſas quoque nobilium familias coaleſcere vnquam amicitia & vnio vera poterit. Conſtat enim pagorum & oppidorum dominia apud nos frequentiſſimè ex vna familia in aliam cum iure patronatus Eccleſiarum transferri. At nonnè, cum omni libertate, quamcunque religionem ſequendi (ſi ea ſemel admittatur) transferentur? Finge ergo priores poſſeſſores & dominos Catholicos vel Lutheranos, poſteriores Caluiniſtas aut Arianos (quod non rarò contingere videmus) an non hi quoque acquiſito dominio, iure ſuo vti volent, & religionis normam ad ſuum ingenium accommodare poterunt? Poterunt haud dubiè quod priores poterant. Ergo euertant è templis altaria, imagines auferant, tollant ſepulchra & monumenta maiorum, Sacerdotes ſeu miniſtros pellant, alios ſuæ ſectæ ſubſtituant, nulla veſtigia prioris cultus relinquant eò quod ita eorum fides requirat, nec ſalua conſcientia aliud fieri poſſe aut debere dictitet. Quid putas, gratiam & beneuolentiam apud priores earũ poſſeſſionum dominos inibunt, & non potius plus quàm vatiniana odia, ſimultates, inimicitias ſibi comparabunt? Quis enim niſi ſtupidus nõ grauatè ferat, tot vel ſumptus vel labores aliquãdo ſuos & maiorũ ſuorum inanes redditos, memorias familiarum ſublatas, euerſa monumenta? Quod ſi dixeris occurri his omnibus incommodis poſſe, ſi is qui dominia huiuſmodi tranſfert, futuro poſſeſſori conditiones ponat, quibus præcludat viam mutationibus, atque conſtringat hominem, vt integra omnia conſeruet. Rectè id forſitan dici poſſet, ſi re ipſa perfici poſſet. ſed inprimis is qui alienat talia bona, cogitur frequentiſſimè contra voluntatem ſuam illa alienare, nec vllum inuenit qui conditionem in religionis præiudicium velit: adigitur interdum inuitus, vel vi vel ipſa praxi legum, vt poſſeſſioni renunciet eaque cedat, ſeu creditoribus, ſeu aliis qui ius prætendũt. Quare velit nolit, exuere ſe dominio omni debet. Sed nunquid cum dominio omnem etiam affectum erga paternos lares, & poſſeſſiones bonorũ hæreditarias exuere poterit, ſi eas quo ad exercitiũ religionis à ſe & à maioribus ſuis excultæ, violari poſtea intelligat? Minimè gentium; quin potius concipiet iras, fouebit contra violatores odia, voluet & reuoluet animo iniurias, meditabitur vindictas.

ARTICVLVS XXVIII.

Sexta ratio ab experientia ipſa, quæ ad oculum oſtendit, pacem vigere non poſſe, vbi religionis diuerſitas viget.

DEnique vt rem totam tandem concludam, conſtantiſſimè affirmo; omnia quæcunque pacis & tranquillitatis nomine, pro cōfœderatione afferuntur, mera eſſe ſomnia. Nam experientia ad oculum demonſtrat, ibi maximè publicam pacem & tranquillitatem vigere, vbi vnius religionis cultus viget, & è contra varietate & diuerſitate religionis, confundi & perturbari omnia. Docent id apertè tot bella, inter hæreticos, Mahometanos & alios infideles tranſacta, & quæ in hunc vſque diem tranſiguntur. Docet ratio ipſa, nec aliter fieri poſſe oſtendit. Homines enim, qui Dei qualemcunq; cultum profitentur, (ſi ex animo profitentur, & non penitus athei ſunt) nullam iniuriam maiorem ſibi inferri ſentiunt, quàm cùm Deum aut religionem ſuam blaſphemari intelligunt. Hinc tot pugnas inter ſe etiam gentiles pro diis ſuis penatibus inierunt, tot legibus violatores ſacrorum ſuorum coërcuerunt, tot adierunt pericula, vt religionem ſuam ſartam tectam conſeruare poſſent. Et tu ſolus anonyme, inter Chriſtianos de religione diſſidentes, qui peculiari quodam ſtudio ſuas zelare ſectas conſueuerunt, ſummam quandam pacem & tranquillitatem polliceris, quantumuis alij aliorum religionem improbent, & radicitus euulſam cupiant. Deos meos quos mihi feci (ait ille Michas) tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia; & dicitis, quid tibi eſt? Rectè ſanè adiicit: *Et omnia.* qui enim cultu Dei ſui, à quo omnia habet & expectat, priuatur, meritò ſibi omnia eripi queritur. Quantò magis Chriſtianus queretur, qui qualicunq; tandem ſpecie, vel prætextu, nomen hoc ſibi vſurpat, Chriſtum ſaltem Deum ſuum & ſummum quoddam bonum profitetur, eiuſq; iniuriam, ſuam propriam eamq; maximam ſemper æſtimabit, & vbi poterit, etiam vindicabit. Hiccine ergo tibi pacem veram & ſynceram colere poſſe cum iis, quos ſibi in cauſa religionis aduerſari intelligit, videtur? Apage cum hoc figmento tuo, nemini illud perſuadebis, niſi fortè ei qui ratione penitus caret. Ratio enim, vt omnes Philoſophi agnoſcunt, euidentiſſimè docet, pacem inter eos coaleſcere non poſſe, qui in rebus, præſertim grauioribus & ſibi chariſſimis, animorũ diſſenſiones fouent, & diuerſis opinionibus alunt. Amicitiam iidem Philoſophi

Confœderatio experientiæ & rationi apertè repugnat.

Iudic: 18.

Cic: li: de amicit.

ſophi animorum coniunctione, & bonorum communione (inter quæ maximum omnium Deus eſt) definiunt. & rectè quidam: Nulla eſt amicitia, cùm alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus eſt. Verus amic9 (inquit idem) eſt alter idem. At quomodo alter idē erit, ſi perpetuò diuerſis opinionibus & ſimultatibus ab eo diſſentiet? Finge domū ſeu familiam aliquam, in quā alij de aliis graues ſuſpiciones aut iudicia concipiāt: finge vicinos, qui iura fortunarum ſuarū, aut bona famæ ſuſpecta inuicem habeant, aut identidem carpant; an tu inter huiuſmodi æmulatores & arbitros mutuos, mutuam pacem & fidā amicitiam coaleſcere vnquam poſſe exiſtimabis? Quantò minus coaleſcet inter illos, qui de religione, hoc eſt de ſumma rerum diſſentiunt omnium. Colent ſcilicet amicitiam, qui ſe inuicem mendacij & blaſphemiæ perpetuò condemnabunt, cœlo terraq; indignos, Deo hominibuſq; inuiſos, gehennæ ignibus digniſſimos iudicabunt. Colet & obſeruabit vnius & trini Dei verus cultor, impium Arianum, pro Deo vero cerberum tricipitem coli ab illo blaſphemantem. Colet Catholicum Lutheranus, Caluiniſta, aut quiuis alius eorum aſſecla, qui illum idololatriæ, grauiſſimi & execrandi criminis reum, aſſiduè incuſabit. Feret inquam pacato animo quiſque iniuriam Dei ſui, qui leuiſſimi alicuius boni temporalis damnum datum ferre nō poteſt. Hæc inquam ferent, ſed ij duntaxat, qui nihil credunt, nullum ex animo numen colunt, ideoq; iniuriam eius nullam prorſus ducunt. Niſi velis homines maiorem rationem ducere debere quorumuis aliorum bonorum; quid Dei ipſius ſummi & maximi boni, à quo bona omnia tanquā à fonte vberrimo iugiter emanant. Id quidem ſentire per Machiaueli placita tibi licebit, vt ſtatum ſtultitiæ tuæ conſerues; at iudicio bonorum omnium, eandem cum Machiauello impietatis notam ſubibis. Hæc verò cùm ita ſe habeant, ſicut à me iam expoſita ſunt, fruſtra tu in poſterum confœderationis ſpecie vulgi oculos perſtringere perges: fruſtra lernam diſſidiorum & malorum omnium, pro conſeruatrice pacis publicæ obtrudere: fruſtra deniq; obſtrepere Ieſuitis eam impugnantibus; pacem illi non bellum quærunt hac ratione Patriæ noſtræ, quam terram labij vnius, vno ore Deum vnum confitentem videre cupiunt. Bella & tumultus quibus Chriſtianus orbis hoc noſtro ſeculo concutitur, miniſtris tuis & ſuperintendentibus imputa; non Catholici, ſed tu

 ci, ſed tu

Tom: 7. Germ: fol: 271. anni 1553. ci,ſed tu & domus tua conturbat Iſraël. Miniſtri tui fuerunt,qui tam multa bella funeſtiſſima in Germania, Flandria, Scotia, Francia, Hungaria excitarunt, tot & tam validos exercitus inter ſe commiſerunt, & mutuis vulneribus conciderunt. An non Luth. ipſe refert, & inſigniter gloriatur,in Germania, vnica æſtate intra vnum & alterum menſem, ſe auctore pluſquam centum ruſticorum millia cæſa eſſe. An non Miniſter fuit Zuinglius,qui in illo eodem bello, dux & auctor occubuit, & proprio ſanguine exſatiatus corruit,qui Euangelium, ſitire ſanguinem dictitare ſolebat. Albertum Pruſſiæ Ducem, (vt noſtra etiam exempla domeſtica commemorem) in Sigiſmundum Primum Poloniæ Regem; & Archiepiſcopũ Rigenſem,in Sigiſmundum ſecundum,nonné miniſtri exacuerunt & incenderunt? Moſchos ad obſidionem Derpatenſem, nonné Wittembergenſis ille pellio Lutheri diſcipulus, tanto magiſtro digniſſimus,exciuit & impulit?& quàm multi alij extiterunt eiuſdẽ farinæ pſeudo apoſtoli,ſanguinarij, bellorum & tumultuũ præcones & ſuccentores; qui quod re ipſa ipſi præſtiterunt,libris etiam cõſcriptis & in lucẽ editis docere veriti non ſunt,in quibus perpetuò claſſica canunt,& illud vnũ agunt,vt ſubditos contra ſuos legittimos principes ad arma cõcitent. Lege epiſtolas Bezæ, Zuinglij, Brutij, lege Alithias, ſacra Concilia, Excitatoria matutina; & me vera ſcribere cõprobabis. Quodſi fortè legendi tempus tibi minimè ſuppetit, ſaltem adeas interdum conciones illorum, & quem ſuis auditoribus ſpiritum inſtillent, obſerues. Certè Eraſmus Roterodamus, vir iudicio veſtro magnus, & qui veſtras partes ſtrenuè propugnabat, fatetur ingenuè ſe aliquando vidiſſe à concionibus Euangelicis redeuntes auditores, veluti malo ſpiritu afflatos, vultibus iracundiam ac ferociam miram præſeferentibus, ſicut diſcedunt milites à concione Ducis ad prælium, & ad θηριον αλκην exhortantis. Et ſanè quantum præcones iſti in animis auditorum ſuorum profecerint, vel ſola Anglia abundè teſtatur, quæ quod ab illis didicit,legibus publicis conſignauit,vt ſtultitiæ pariter ac ſæuitiæ ſuæ memoriam ad poſteros etiam propagaret. Rectè enim Seneca: *Stultitiam eſſe rem humilem, abiectam, ſordidam, ſeruilem, multis affectibus & ſæuiſſimis ſubiectam.* Viſné tibi referam, ex illis præclaris legibus vnam,ex qua de cæteris cõiecturam capias, audi & exhorreſce: (ſi fortè humanitatis ſenſus aliquis adhuc in te ſupereſt.) *Si quis*,inquit, *diſſuaderet alicui religionem illam, quæ nunc publicè in Anglia tenetur, vel procurauerit vt*

Eraſ: epi: ad ff. infer: Germ.

Miniſtri hæreticorũ incentores bellorum.

Epi: ad Pſeudoeuã.

Lex Sanguinaria

uerit vt diſuadeatur, ea intentione, vt ille cui diſuadetur, ad obedientiam Romani Pontificis & Romanæ fidei trahatur, reus erit criminis læſæ Maieſtatis, & eadem pœna plectetur, quæ illi crimini debetur; quæ quidem pœna huiuſmodi eſt: Primùm vt cõdemnatus trahaq; ad locum ſupplicij pertractus, in maiorem cruciatum ſtranguletur laqueo: deinde vt redeunti ad ſe amputentur virilia & igni comburantur: tum vt cultro aperiatur venter, & erutis iliis, etiam cor & viſcera, ſpiranti adhuc & reluctanti, manu carnificis auellantur, & in ignem iuxta poſitum proiiciantur: deniq; vt elixus & in partes diſſectus, ad varias ciuitatis portas ſuſpendatur. Bona autem ipſius & poſſeſsiones omnes ad fiſcum tranſeant, nec eorum quicquam ad vxorem, liberos aut conſanguineos deſcendat, ſed vt ipſi præterea huius vnius ob cauſam, æterna notentur ignominia, & omnis poſteritas mortui degradetur ſanguine. Hactenus lex Anglicana. Expectamus in horas ab iiſdem Anglis aliam legem, quæ membra illa humana, igne toſta & elixa, miniſtris ſuis voranda præſcribat, & inter epulas & conuiuia, tam exquiſito crudelitatis ferculo caninam illorum famem exſatiari iubeat. Non reformidabunt illi, pro ſua pſeudoeuangelica manſuetudine tantum facinus, & exemplum Alexandrinorum illorum, qui Proterij Epiſcopi ſui viſceribus crudis paſti ſunt, facilè imitabuntur. Sed hæc dicta ſint occaſione confœderationis, quam tu ſacroſanctam eſſe contendis, & improbari à Ieſuitis tantopere doles, ideoq; Ieſuitas vt publicæ pacis perturbatores incuſas. Diſce vel ex his paucis, pacem non libertate credendi quiduis pro cuiuſq; arbitrio (vt tui Euangelici & Macciauelopolitici ſomniant) ſed vniformitate fidei colligi & conſtitui oportere, vt iuxta Apoſtolum, omnes idem dicamus, idem ſapiamus omnes.

Anglia contra Catholicos.

Niceph: lib. 15. ca: 16.

2. Cor: 13.

Tu ſi plura in hoc genere cognoſcere deſideras, lege Scargam, Pouodouium, & alios plures, qui ſcriptis ſuis confœderarionem non oppugnarunt ſolummodo, ſed penitus expugnarunt & profligarunt; rationibuſq; euidentiſſimis oſtenderunt, eam neq; legibus diuinis eſſe conformem, neq; legibus patriæ firmatam; ſed in paucorum gratiam toleratam, multis ſæpè omnium ordinum proteſtationibus eneruatam & attritam, vt iuris communis priuilegio gaudere non poſſit.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA
ANATOMIÆ.

In qua oſtenditur malè dilui argumenta ab anonymo, quæ pro Ieſuitis afferri ſolent.

ARTICVLVS XXIX.

Refelluntur quatuor reſponſiones anonymi, ad ea quæ, pro Ieſuitis afferri ſolent à Catholicis, oſtendentibus eos vtiles eſſe Eccleſiæ Catholicæ & Reipublicæ noſtræ.

VEnio tandem ad poſtremum tuæ deſignationis caput, in quo nouum onus in te ſuſcipis, diluendi nimirum omnia, quæ pro Ieſuitis retinendis & fouendis afferri ſolent. Et quidem conaris id præſtare pro virili, ſed vires mendaciis & calumniis ſuperioribus exhauſtæ, vbiq; penè te deficiunt. Agis tamen, vt aliquid agere videaris, & omnia ad quinque defenſionis puncta reducis. Inſpiciamus ſingula, & quàm turpiter in iis hallucineris, videamus. Ac primum quidem Catholicorum argumentum pro Ieſuitis ita proponis. *Qui Ieſuitas* (inquis) *omnium feruidiſſimè propugnant, primo loco Catholicam religionem allegare conſueuerunt, cuius interitum verentur, ſi contra Ieſuitas aliquid grauius ſtatui contigerit; vt pote quorum opera probata ſit Eccleſiæ Catholicæ, & probetur in dies in conuerſione gentilium & hæreticorum, quos in ſinum eius aggregare frequentes, tum in nouo, tum in vetere orbe cernuntur.* Huic tu argumento vt reſpondeas, primò quatuor obiicis, deinde cõquiſitis vndequaq; ratiunculis, ſententiam tuam confirmas. Examinemus & percurramus omnia & ſingula. Primùm miraris Catholicos, *qui cùm credant Romano Catholicam* (hac te voce hominē hæreticum ſeu lupū ouina pelle contectū prodis) *religionem paulò minus quàm 1500. annos per orbem duraſſe, ante Ignatiū Loiolam natum, & eandem tot centenis annis in Polonia floruiſſe; perſuaderi ſibi tamē patiūtur, illam citra Ieſuitarum operam in Polonia deinceps conſiſtere non poſſe.* Ego verò magis etiam miror, ſiue fraudem, ſiue ignorantiam tuam inſignem, qui Catholicos aſſeras ita perſuaſos eſſe, vt exiſtiment actum penitus de fide Catholica in Polonia, niſi Ieſuitæ permaneant. Non ſunt illi ita

illi ita modicæ fidei, nec ita à puſillanimitatis ſpiritu oppreſſi, quin credant diuinam prouidentiam, per alios quoſcunq; poſſe quod per Ieſuitas poteſt; ſed cùm momentis ſuis expendunt fructum ſpiritualem, quem Ieſuitæ in Eccleſiis Poloniæ hactenus protulerunt, beneficium hoc diuinæ prouidentiæ acceptum referunt, optantq; eſſe perpetuum, ſolliciti ne cum aliqua rei Chriſtianæ iactura illud amittant. *Ieſuita utiliter verſantur in Polonia.*

Secundo loco reſpondes: *Sat Eccleſiæ prouiſum eſſe, citra omnem Ieſuitarũ operam, nimirum per Apoſtolos, qui religionis conſeruandæ ergo, non Ieſuitas ſed epiſcopos,* (vel vt primus typographus tuus impreſſit, ingenio tuo ſe accõmodans, Epicureos) *Presbyteros, Doctores, Paſtores, Diaconos ordinarunt.* Acutè admodũ arguis, homo ſcilicet ingenioſiſſimus, Apoſtolos non ordinaſſe Ieſuitas, qui tũ nulli prorſus in mundo erant, & 1500. annis poſt emerſerũt. At iidẽ Apoſtoli non ordinarunt vllos etiã Caluiniſtas, Lutheranos, Machiaueliſtas, & alios eiuſdẽ fæcis homines, inter quos nulli Epiſcopi (Epicuri autem non pauci) nulli Presbyteri (niſi à fide & religione Apoſtatæ) nulli diaconi aut legittimi paſtores reperiuntur, quemadmodũ reperiũtur inter Ieſuitas, qui etſi immediatè ab Apoſtolis ordinati nõ ſint, ſunt tamen ordinati ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, & ſuam per eos ordinationem ad ipſos Apoſtolos deducere ſemper poſſunt, quemadmodum cæteri omnes quotquot in Eccleſia gradum aliquem ex ſupradictis obtinent. alioquin omnes pariter cum Ieſuitis ab Apoſtolica ordinatione exciderent, prout excidunt tui ſectarij omnes, qui noui recenteſq; venerunt, quos non cognouerunt patres noſtri, & multò minus Apoſtoli; niſi fortè eo nomine illos apoſtolicos viros dicendos exiſtimes, quòd ab Apoſtolis prænunciati, & ſuis coloribus ad viuum depicti ſunt: *Venturi circa nouiſſima tempora, homines illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus, qui ſegregant ſemetipſos, animales ſpiritum non habentes. Iidemq; nubes ſine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Iud: in epi:

Cauillaris præterea immeritò Catholicos qui Ieſuitas defendunt, & retinere cupiunt; quaſi illos canes vigilantes ſupra gregẽ Domini eſſe exiſtiment, reliquum verò Clerum vulpium loco habeant. Omnes enim Cleri ordines gregi Dominico inuigilant, & in eundem vigilantiæ laborem cõſpirant, citra vllam ſortis ſuæ ad inuicem inuidiam. Imò quod ma-

Digitized by Google

quod magis mireris, Clerus fuit, qui primùm Ieſuitas in hoc regnum ex nationibus externis acciuit; & quidem nobiliſſima Cleri pars, nempe Epiſcoporum, præcipuas ſibi hac in re partes vendicat. Epiſcopus fuit Staniſlaus Hoſius (lumen patriæ noſtræ) qui primus Ieſuitas, quorum nomen & ordinem à pietate & eruditione probatum agnouerat in Concilio Tridentino, Brunsbergæ Warimienſis ſuæ Diœceſis nobili oppido collocauit. Epiſcopi fuêre, Andreas Noſzkowski Plocenſis, Adamus Konarski Poſnanienſis, Valerianus Vilnenſis, Hieronymus Rozrazewski Cuiauienſis, Demetrius Sulikowski Leopolienſis, Petrus Myſzkowski Cracouienſis, Martinus Szyskowski & Paulus Wolucki Luceorienſes, Andreas Pruchnicki Camenecenſis, quorum ſinguli eoſdē ad ſuas Diœceſes aduocarunt, & certis ſedibus, pleriq; etiam reditibꝰ pro facultatibus ſuis ſtabilierunt. Epiſcopus deniq; fuit Staniſlaꝰ Karnkowski Primas Regni, & Gneſnenſis Eccleſię Archipræſul digniſſimꝰ, vir æterna memoria dignus, qui qantùm dignitate omnes ſuperabat, tantùm liberalitate ac munificentia eoſdē anteceſſit. Collegiū ampliſſimū Ieſuitis Caliſſij, vnà cum Templo, à fundamentis erexit, illudq; reditibus liberaliter dotatū reliquit, ad perpetuam ſuā & familiæ ſuæ nobiliſſimæ memoriam & gloriam. Hi inquam omnes Clerici fuerunt, imò Clericorum decus & ornamentum, grauiſſimi Senatores Regni, viri prudentia & rerum vſu clariſſimi, Eccleſiæ Dei & patriæ ſtudioſiſſimi; qui ſi in Ieſuitis aliquid obſeruaſſent Clero cōtrarium, aut patriæ nociuum, nunquam eos adducere auſi fuiſſent; at nihil horum obſeruarunt, nihil ab illis mali timuerunt; ſed præuidentes retibus ſuis concludendam, vel concluſam piſcium multitudinem, ſociis in alia naui adremigantibus annuerunt, vt eos adiuuarent; rogarunt Dominum vt in meſſem ſuam mitteret operarios plures; & impetratos ab eo, cum ea qua par fuit alacritate ſuſceperunt. Atq; idem planè de Ieſuitis ſentiunt moderni quoque in Polonia Præſules, qui tum nouis illorum Collegiis & Domiciliis erigendis, tum iam erectis ſtabiliendis, ſedulam & tantorum paſtorum vigilantia dignam nauant operam, & quà auctoritate, quà facultatibus ſuis vbi poſſunt, res Ieſuitarum promouent, conſiliis adiuuant, teſtimoniis ampliſſimis, ſi quando res poſtulat, ornant; deniq; patres veros ſe eis vbiq; exhibent. Et quidem quod ad teſtimonia attinet, vt ex vno de omnibus coniecturam capias, extant literæ Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini Petri Tilicki, quas anno 1596.

Petri Tilicij. Epiſcopi Cracouienſis de Ieſuitis teſtimonium.

anno 1596. 27. Ianuarij, ad Torunenſes ſcripſit, occaſione quadam, cum adhuc Culmenſis eſſet Epiſcopus (nunc enim ſuis in Eccleſiam Dei & patriam noſtram meritis ita poſcentibus, Cracouienſem agit) & Torunenſium depoſitas apud ſe de Ieſuitis querelas confutaret, fatetur apertè & ſponte ſua Ieſuitas Toruniũ ſe miſiſſe, eò quod ſi in vlla alia re, in eo maximè genere functionum Eccleſiaſticarum quod conciones concernit, exercitati eſſent, & cum fructu verſarentur: atteſtaturq; diſertis verbis illos viros probos, doctos & modeſtos eſſe, & (quod maximè ab illo ſpectatum eſt) pacis & tranquillitatis amantiſſimos. Sed non ſolùm nobiliſſima Cleri pars, videlicet Epiſcopi, verùm plurimi ex inferiori etiam Clero, mirificè amant & obſeruant Ieſuitas, & illorum opera in conſiliis ad conſcientiam pertinentibus libentiſſimè vtuntur. En ego inter cæteros ex Clero prodeo anonyme tecum, & cum tui ſimilibus, à parte Cleri decertaturus. Et primùm abs te quæro, cur audes vniuerſo Clero hanc inurere notam, quaſi odio proſequatur Ieſuitas, & ab illis ſibi metuat ne in beneficia & officia eius inuolent? An verò ignorat Clerus quàm graue ſit ſcelus odiſſe eos, qui ab Eccleſia in Concilio Tridentino congregata admiſſi & recepti, à tot Summis Pontificibus approbati, & multis gratiis ac priuilegiis dotati, ab Epiſcopis, Regibus, Principibus, Rebuſpublicis inuitati, hucuſq; cum laude verſantur, qui Eccleſiam Dei, doctrina & integritate vitæ exornant, qui in hæreſibus vitiis & peccatis extirpandis, ſtrenuam nauant operam, iuuentutem honeſtis ſtudiis excolunt, teneroſq; eius animos pietate & cognitione mandatorum Dei imbuunt? Deliras omninò anonyme, deliras, cùm odium in Ieſuitas Epiſcopis & Clero reliquo imponis. Amat & obſeruat Ieſuitas Clerus vniuerſus. Ac ego quidem inter cæteros palàm & ingenuè profiteor, me iiſdem addictiſſimum eſſe, & mihi gratulor, quòd eos Sendomiriæ collocatos videam ad Parochialem Eccleſiam meam, quæ à D. Petro nomen habet: nec mihi vnquam gratulari deſinam, aut pœnitentia vlla vnquam ducar, animum mihi ſuppeditante & quaſi currentem incitãte, viro integerrimo R D Ioanne Wielicki Decano noſtro Sendomirienſi, mihi ſumma neceſſitudine coniuncto, qui familiæ ſuæ nobilitatem, quæ & infulis & officiis publicis clariſſima extitit, ita cum vera pietate & in rebus agendis dexteritate & prudentia coniunxit, vt ſine virtutibus nobilitatem, laruam tantùm & vmbram quandam nobilitatis eſſe oſtenderit. Non poſſum

etiam nō in dies animari magis ac magis, dum ex ratione inſtituti eorundem patrum, fructum vberrimū ex ouibus mihi cōmiſſis decerpo, dum intueor tanta alacritate ad peccatorum confeſſioné inſtituēdam, ad ſacrā Synaxin percipiēdam, ad omnia reliqua pietatis & cultus diuini exercitia obeunda fideles accurrere, vt contrà tepidiores nō multis, quemadmodum antea neceſſe erat, querelis me vti oporteat. Sæpenumero autem & mihi ipſi occurrūt illa D. Bernardi verba, quæ ſoleo frequēter mihi applicare: Quid me vnquā beatius, quidué ſecurius? cùm eiuſmodi circa me vitæ meæ & cuſtodes habeam & teſtes, quibus omnia mea ſecreta ſecurè cōmitterem, communicarem conſilia, quibus me totum refunderem tanquam alteri mihi; qui ſi vellem aliquatenus deuiare, frænarent præcipitem, dormientem excitarent, quorum me reuerentia & libertas extollentem reprimeret, excedentem corrigeret, quorū me conſtantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem; quorū me fides & ſanctitas, ad quæq; ſancta, ad quæq; honeſta, ad quæque pudica, ad quæque amabilia bonæ famæ prouocaret. Hactenus D. Bernardi verba. Ea verò nō tantum frequenter ipſe vſurpo, ſed vſurpant mecū plurimi & optimi quique Sacerdotes, qui in hoc Sendomirienſi tractu verſantur. Inter quos præcipuum habeo R. D. Albertum Cochleuium Oſiecenſem Parrochum, virum pietate & eruditione conſpicuum, qui dum in aula Regia ſecretarij munere fungeretur, ita Illuſtriſſimo Epiſcopo noſtro Tilicio induſtriam & dexteritatem ſuam in rebus agendis probauerat, vt eundem ad Clerum Archidiaconatus Sendomirienſis in officio retinendum, ſocium mihi adiungeret. Poſſem hic enumerare Marciſzeuios, Mieleuios, Placentinos, & alios ex eodem Clero plurimos prælatos & paſtores animarum vigilantiſſimos, qui cùm ſtatis temporibus in vnum conueniunt de rebus & neceſſitatibus Eccleſiarum ſuarum tractaturi, præſentiam Patrum Societatis expetunt, eorum exhortationibus auidas aures præbent, conſiliis libentiſſimè acquieſcunt. Poſſem commemorare alios multos prælatos, tum ex omnibus Epiſcopatibus Regni, tum verò ex hoc noſtro Cracouienſi, virtute, nobilitate, eruditione viros clariſſimos, Renczalſcios, Taranouios, Oborſcios, Bobolas, Grochouios, Trzcinſcios, & alios plurimos, Ieſuitarum amiciſſimos, quos ſi recenſere omnes vellem, dies me deficeret. Sufficiunt autem vel hi pauci quos indicaui ad retundendam abundè impudentiam tuam, anonyme, qui vniuerſum Clerum Poloniæ odij

Lib: 4. ad Eugen: de conſide.

niæ odij contra Ieſuitas inſimulare auſus es. Quare neminem in præſens adiiciam alium; de me ipſo tantùm, vt magis ac magis quo ſim erga Ieſuitas animo intelligas, vnicum addo, quod cùm aliquando ſparſus fuiſſet rumor, me de Ieſuitis conqueri ſolere, & neſcio qua pœnitentia duci quòd eoſdem receperim, cùmq; hac de re etiam ab aliquot grauiſſimis viris malè à malis inſtructis & informatis compellatus fuiſſem, neceſſe habui publicè ex ſuggeſtu, ſemel atq; iterum teſtatum facere, commentum hoc improborum eſſe, mihiq; iniuſtè inconſtantiæ notam inuri ab illis, qui res ex ſuſpicionibus, tanquam telis aranearum nectunt, vt me leuitatis inſimulent: Quaſi verò tantùm iudicij non habuerim, vt priuſquam in eam deliberationem venirem, non à Deo Optimo Maximo totius boni autore & inſpiratore, res vt ſucceſſum haberet, expeterem: Deinde omnes examinarem & excuterem rationes, in vtramq; partem, ne alicui poſtea pœnitentiæ locum darem.

Quare deſine aliquando anonyme, tot exemplis & rationibꝰ conuictus, Cleri odium obiicere Ieſuitis, deſine temerè imponere Catholicis Ieſuitarum fautoribus, opinionem illam peſſimam, eos reliquum Clerum vulpium loco habere, cùm Ieſuitas mordicus retinere conantur; vulpes enim illi reputant, non ſacrum Poloniæ Clerum quem reuerentur, ſed veſtrũ hæreticum & Machiauelliſticum gregem, qui Ieſuitas longè ablegandos cenſet. Vos ſiquidem Lutherani, vos Caluiniſtæ cũ aliis ſectariis, vos Machiauelli diſcipuli veræ vulpes eſtis, vt qui pacis colore & prætextu mendaciſſimo, cuſtodes gregis Domini veſtris erroribꝰ & moribus infeſtos abſtrahere nitimini, vt liberius poſtea veſtras artes & fraudes omnes, in extremũ patriæ (cuius vos minima cura tãgit, ad priuata tantum cõmoda intentos) dedecus exercere poſſitis. Et quantumuis inter vos variis opinionũ prælиis de religione & Reipub. adminiſtratione ſæpe congredimini, tamen contra Ieſuitas magno animorum conſenſu omnes conſpiratis; & vt D. Aug. de veſtri ſimilibus ſenſit, capitibus inter vos diſtincti, caudis inſtar vulpium Samſonis cohæretis. At conſpirate & cohærete ad inuicem quantùm libet & licet, habebunt ſemper Deo prouidente Ieſuitæ patronos ſuos, qui eos contra omnes impetus & conatus veſtros tuebuntur. Quot enim & quanti illi viri ſunt, non dico ex Clero ſolummodò, quorum ſuprà memini, ſed ex ordine Equeſtri & Senatorio, qui res & Collegia Ieſuitarum fauore & auctoritate ſua promouerunt ſemper, & hucuſq; pro-

 mouent.

Digitized by Google

mouent. Reperies in eorum numero (præter eos quibus cum ſanguinis vinculo iunctos alias oſtendi) Radiuilos, Tencinios, Zebrzidouios, Zolkieuios, Chodkieuicios, Czarnkouios, Goſtomſcios, Vapouios, Stadnicios, Karnkouios, Plazas, & alios his non impares plurimos, lumina patriæ noſtræ clariſſima, à quorum auctoritate Reſpub. noſtra, magna ex parte dependet. Hos tu primùm ſuo loco moueas neceſſe eſt, & tum demum de Ieſuitis amouendis conſilia captare poteris. Siquidem credibile non eſt, heroas illos tales ac tantos, aut poſteros eorum, minore animi contentione & ſtudio in Ieſuitis tuendis, & in ſuo ſtatu conſeruandis adlaboraturos, quàm cùm eos ex remotioribus etiam prouinciis accerſerent, vt in certis domiciliis collocarent. Id verò quanto illi ardore animi, nec labori parcentes nec ſumptibus, perfecerint, teſtis eſt vniuerſa Reſpub. noſtra in cuius oculis omnia iſthæc tranſacta ſunt. Certè Illuſtris vir & Senator Regni clariſſimus Hieronymus Goſtomski, Palatinus Poſnanienſis & Sendomirienſis Præfectus, quem meorum conſiliorum hac in parte Deus mihi prouiderat patronum & promotorem ſingularem, quàm incenſam voluntatem ad erigendum Collegium Sendomirienſe habuerit, ego teſtis eſſe poſſum. Toties enim repulſam paſſus à Generali Præpoſito Societatis, toties ab ipſis quos inuitabat patribus, non deſtitit tamen, & indefeſſo animo ſollicitauit Summum Pontificem, vrſit Generalem, inſtitit apud Prouincialem, vt liceret omninò Patribus Sendomiriæ ſedes figere & Collegium erigere. Quod cùm impetraſſet tandem, neq; alieno Reipub. tempore tū perturbatæ, neq; ſumptuū magnitudine (tum cùm maximè damnis illatis & vaſtationibus bonorū ſuorum exhauſtus videretur) deterreri potuit, quominus propoſita illa ſua re ipſa expleret. Et perficere quidē ipſe omnia morte præuētus non potuit, ſed hæredes reliquit eiuſmodi, qui nihil magis in votis habent, quàm vt parentem optimum, etiam poſt fata, deſideriorum ſuorum compotem reddant: iidemq; paternæ gloriæ & munificentiæ æmuli, operam ſuam & ſumptum, in opus inchoatum, vt perfici poſſit, liberaliſſimè ſuppeditare hactenus pergunt.

ARTICVLVS XXX.

Ieſuitas cultum religionis Catholicæ egregiè promouere.

SEd accedamus ad tertiam reſponſionem tuam, quam primo Catholicorum pro Ieſuitis argumento obiicis. Ais enim, *religionis curam &*

vam & propagationem Ieſuiticæ deſignationis minimam partem eſſe, vt quam ipſi non amplius curent, niſi quantum ad principalem inſtituti illorum finem (de quo ſupra dictum eſt) viam munit, id quod vel hinc apparere putas, quòd inter eos partes docendi in Eccleſia inferioribus ferè committantur, vt primicerij huius ordinis, & qui ingenio præſtant illis, quas diximus, ſublimioribus artibus liberiùs vacare queant. Itané tibi Ieſuitæ religionis cultum neglexiſſe videntur? At vnde tot conuerſiones ad fidem Catholicam & pœnitentiam gentilium, vel hæreticorum, & aliorum impiorum hominum, quot per eos fieri oculis noſtris quotidie ſpectamus? Si inferioribus tantum eorum munus docendi in Eccleſia committitur, vnde tanti ad templa eorum & conciones cōcurſus? Quid facerent grandiores, ſi tantū pręſtatur ab iis qui inter eos (vt tibi placet) inferiores ſunt? Et quot tandē ſunt illi primicerij, qui in aula verſantur? Nimirū tres vel quatuor; ſed illi ipſi nonné aliorū inferiorū (vt tu loqueris) more, in Eccleſia docere ſolent; quomodo ergo verum erit, illos vel primicerios eſſe, vel ad docēdi munus in Eccleſia nonniſi inferiores deputatos? Hæc non modo repugnantia, ſed etiam contraria ſunt, & ſibi omnino nō conſtant. videris tu, quomodo illa inter ſe concilies. Quarto & poſtremò, reſpondes ad primum Catholicorum pro Ieſuitis argumentum, & aſſeris: *doctiſſimos & præſtantiſſimos quoſque viros Catholicos, etiam ex ipſo ordine Eccleſiaſtico te audiuiſſe ſæpius, Ieſuitas religioni Romano Catholicæ (nemo verbo hoc niſi hæreticus aut Machiauelli diſcipulus vtitur) intra Europam, magis obſtitiſſe quàm vt eandem promouerint.*

Rem tuam magnorum ſanè virorum teſtimonio confirmas, ſed qui nullum adhuc certum nomen habent; quia necdum nati aut baptizati ſunt, latitant autem in cerebro tuo, intra cuius veluti equi Troiani ſinum, magna huiuſmodi teſtium turba perpetuò hiſcit, & alia atq; alia de Ieſuitis commenta identidem excogitat. Cedo obſecro, & vel vnum ſaltem exclude aliquando, vt ex eo de reliquis, quales & quanti ſint, iudicium ferre poſſimus. *Teſtium anonymi inanis & fictia turba.*

ARTICVLVS XXXI.

Refutantur ratiunculæ & inſtantiæ anonymi, quibus confirmat Ieſuitas malè de religione Catholica eſſe meritos.

HÆc ergo quatuor fuerunt, ad primam obiectionem Catholicorum pro Ieſuitis, reſponſa tua, quibus diffidens (& meo quidem

 iudicio,

Soluitur argumentum anonymi præcipuũ, quo probat Ieſuitas malè de fide Catholica meritos eſſe.

iudicio, non immeritò) ratiunculas quibus ea confirmes, vndequaq; conquiris, id vnum agens, vt Ieſuitarum labores in concionibus, confeſſionibus & conuerſationibus carpas, & in odium apud omnes adducas. Atque inprimis Theologaſtri repentè perſonam induis, & omnia penè ad hunc tuum Syllogiſmum qualem qualem reducis, & Ieſuitis malè de religione Catholica meritos, ſic concludis: Religio Catholica ibi maximè colitur, vbi Concilium Tridentinum maximè obſeruatur. Atqui à Ieſuitis non obſeruatur ſed impeditur potiùs: ergo ab iiſdem malè religioni Catholicæ conſulitur. Aſſumptum vt probes (nam de propoſitione ſatis inter nos conſtat) Britanniam inprimis obiicis; & Ieſuitis tribuis, quòd in ampliſſimo illo Regno religio Catholica tantopere premitur. At mi Philoſophe: Nonné eadem premebatur iam ibidem, antequam Ieſuitæ illam aſpexiſſent, à temporibus Henrici octaui, qui primus ab Eccleſia Catholica ſecedens, in Clerum & religionem Catholicam legibus & pœnis deſæuiit. Deſæuiit poſtea multo etiam magis filia eius Iezabel infamis, & digna tali parente ex

Elizabeta Britannica encomia.

impuriſſimo inceſtu proles, virgo portentoſa, & tot fœtibus ſpuriis illuſtris: Mulier circumdata purpura & coccino, inaurata auro & lapide pretioſo & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenũ abominatione & immundicia fornicationis: mulier inquam ebria de ſanguine ſanctorum & de ſanguine martyrum Ieſu; caput deniq; execrandum Regni pariter & religionis Anglicanæ. Sub huius enim pſeudopontificatu abominabili, & iam Catholicorum innocentum cædibus cruentato, Ieſuitæ Regnum illud primùm ingreſſi ſunt, vt reliquias populi Catholici conſolarentur, eorumq; ſaluti procurandæ, operam ſuam, qualem in tanta oppreſſione poſſent, nauarent, etiam cum euidenti capitis ſui periculo. Auida enim eſt periculi virtus, Chriſtiana præſertim, & quò tendat non quid paſſura ſit, cogitat. Hanc tu ſi ſeditioſum feruorem appellas, profectò eundem etiam imputabis Paulo & Barnabæ, qui Lyſtris & Epheſi zelo ſimili eiuſdem fidei propagandæ, animos infidelium omnium contra ſe incenderunt.

Deteguntur imposturæ anonymi, obijcientis Scotiã, Angliam &

Allegas ſecundo loco Scotiã, *in qua ante annos nõ adeò multos coniurationẽ contra Principem à Critonio quodam Ieſuita adornatam aſſeris, magno primariæ nobilitatis Scotiæ, pœnas in hunc vſq; diem luentis, malo.* Rectè ſanè & ſapienter à quodam dictum: Mendacium ſemper varium & mutabile; veritatis vna eſt & ſimplex, conueniens, æquabiliſq; ratio. Guilhelmum

iſtum

iſtum Crittonium, alij è veſtro grege inſimulāt conſilij dati Parrio cuidam Anglo, vt Reginam Angliæ occideret, tu illum Scotiæ turbatæ accuſas, Angliæ nulla mentione facta: apparet inter vos ſicut inter illos ſenes Suſannæ calumniatores, non ſatis antea fuiſſe de vno mendacio conuentum. Quodſi vtrumq; ei crimen affingatis, facilè ille vos eludet, cùm præter criminis obiectionem nudam, nil ſibi obiici aliud conuincet. Aliud ſiquidem eſt (vt ait quidam) maledicere, aliud accuſare; accuſatio crimen deſiderat, rem vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teſte confirmet; maledictio autem nihil habet propoſitum præter contumeliam. Deinde Crittonus iſte captus ab Oſtendenſibus, & tranſmiſſus in Angliam ad Reginam, in eundem carcerem Lundinenſem quo Parrius iam detinebatur, ſingulari Dei prouidentia & conſilio coniectus fuit: poſtea de ſuſpicione illa poſtulatus, ita ſe per litteras ad Amanuenſem Reginæ Franciſcum Walſiganum ſcriptas purgauit, vt ilico è carcere eductus, & liber ex Anglia dimiſſus fuerit, anno Chriſti 1584. Extat illa epiſtola eius edita primùm à Caluiniſtis tuis, deinde à Catholicis noſtris nonnullis, locuples ſatis innocentiæ ipſius teſtis. Tu ſi eam videre, & rei totius ſucceſſum & exitum accuratiùs intelligere vis, lege Apologeticum Hērico quarto oblatum, & à Richemero quidem Gallicè datum, à Wiladerio verò Latinitate donatum. Hic abundè tibi enucleabit omnia. Quod verò de Scotia obiicis Crittonio, præterquā quod nullo id autore, nullaq; certa ratione à te probatur, nullam habet veri ſimilitudinem. Quomodo enim credibile eſt, ab vno Ieſuita homine priuato & ignoto, præcipuam nobilitatem, quam nouimus hæreſi Caluinianæ infectam, & vel nomen ipſum Ieſuitarum exhorreſcentem, repentè concitatam & in fœdus coniurationis contrà legittimum Principem impulſam fuiſſe? Et quinam ſunt illi nobiles, quiué reliqui Catholici, qui Regis ſui ob id odium incurrerunt? quando & per quem ad fidem conuerſi? Sanè ſi tot & tales eſſent, quot & quales tu fingis, non ita res Catholica in Scotia iaceret, funditus ab hæreticis euerſa. Rebellio ergo illa omnis coniuratorum, quæ deprǣhenſa fuit, non Crittonio aut Catholico vlli tribuenda eſt, ſed præferuido Scotorum ingenio, & parum ergà ſuos Principes (vt Chronica illorum teſtantur) conſtanti. Et quid mirum ſi hoc etiam ſeculo noſtro fidem ſuam erga Principes deſiderari patiuntur, quando Deo ipſi à quo per hæreſin deſciuerunt, fidem non ſeruarint.

Tranſiluaniam à Ieſuitis turbatā.

Scotorum erga ſuos Principes parum conſtans fides.

Digitized by Google

In aſſertionibus.

uarint. Si fortè huius rei certum aliquod exemplum requiris, audi quid Ioannes Haius Scotus de Scotis ſuis ſcribat. Is enim cùm eſſet in Turnonenſi Academia Theologiæ profeſſor & artium Decanus, contra quendam Miniſtrum Nemeſenſem, diadema Pontificis Romani carpentem ſcribens, his ei verbis reſpondet: Diademata quòd hactenus qui veſtris capitibus impoſuerit inuentus eſt nemo, malè vos habere certum eſt. Nam primæ nobilitatis Scotum, doctrinæ veſtræ cultorem, nominare poſſum, qui teſtabatur Ioannem Knox terræ filium, primum & ſummum noui Euangelij veſtri apud noſtrates buccinatorem, vt viduam regij ſanguinis fœminam in matrimonio (ſi tamen execrandum apoſtatæ Sacerdotis inceſtum, appellare matrimonium liceat) habere quiret, nihil prætermiſiſſe. Et cùm ad optata peruenire non poſſet, odio ardens & vlciſcendi ſtudio incenſus, nobiliſſimam illius fœminæ familiam & gentem omnem nō ante pro virili delere & exterminare ceſſauit, quàm miſerrimus homuncio ex hac luce migraret. Facilè autem exiſtimabat ſe vnà cum coniuge Regno potiturum, cùm Caluiniano artificio, fœminæ fratres, proximos, ſereniſſimæ Scotorum Reginæ hæredes, è medio nullo negotio ſuſtuliſſet. Nam & antè, duas fœminas Anglas, matrem & filiam, quibus flagitioſè abutebatur, interfecerat. Hæc Haius. Audiſnè Scotum de Scoticis rebus diſſerentem? cui vtique licebat rem ſeriò inueſtigare, vt qui patriæ dulciſſimæ ſortem iniquam, cum cæteris Catholicis inde pulſis, acriori doloris ſenſu deploraret. Certè conſtat Ioannem Knoxum non Ieſuitam ſed apoſtatam, eumq; Caluinianum miniſtrum & peſtilentis Euangelij buccinatorem fuiſſe, cui licebat in ſanguinē regium tam enorme facinus perpetraſſe, ita vt multorum aures ad eam narrationem inhorruerint.

Knoxi Apoſtatæ impietas.

Poſtremo loco Hungaros & Tranſiluanos allegas, qui (vt affirmas) à Ieſuitis laceſſiti iniuriis, illos vertere ſolum coëgerunt. Sed tu inprimis iniurias nullas in medium profers, quib⁹ Ieſuitæ Vngaros Tranſiluanoſué irritarint, neque Hungari & Tranſiluani vllas agnoſcunt; imò Tranſiluani, in prima dimiſſione Ieſuitarum, quæ ſub Sigiſmundo Battoreo accidit, litteras conſignatas dederunt, quibus omnium ordinum nomine & conſenſu, luculentiſſimum probitati & eruditioni illorum perhibent teſtimonium, aperteque denuntiant ſe ob nulla facinora illos excludere à Tranſiluania, ſed ob religionis duntaxat diuerſitatem, qua ab illis diſſidebant. Extant adhuc litteræ illæ, ſuntq; eiuſmodi prorſus, quæ

Digitized by Google

ſus, quæ Ieſuitarum oſoribus & zoilis omnibus, oculos configere, &
claudere ora poſſunt. Quare non eſt quod Tragicos vllos tumultus Ie-
ſuitis obiicias; obiice magis miniſtris tuis, qui ante Ieſuitas, varia iam
regna perturbationibus & factionibus variis impleuerunt. Id ſi minus
credis, lege inter alia edictum Vormacienſe, à Carolo Quinto vniuer-
ſis Principibus Imperij adſtipulantibus editum, anno 1521. vbi hiſce
» verbis de Luthero reliquorum Anteſignano conqueritur: Obedien-
» tiam & regimen omne prorſus tollit; vnde populi ad defectionem à
» ſuis tam ſpiritualibus quàm temporalibus dominis faciendam, ad ra-
» pinas, cædes, incendia, cum magno & manifeſto rei Chriſtianæ diſcri-
» mine prouocantur; quinimò, cùm vitam quandam ſolutam, licentio-
» ſam atq; ab omni lege explicatam & verè ferinam inducere conetur,
» ita exlex homo, leges ipſas damnat & contemnit. &c. Tale teſtimo-
nium à Chriſtiano Imperatore, & imperio vniuerſo conſecutus fuit
Lutherus vates tuus, & quidem citra omnem ſuam iniuriam, vt pote
qui per ſe & per ſuos emiſſarios omnem humanam poteſtatem fundi-
» tus euertendam docuerit. Clariſſima enim ſunt illa verba ipſius: Haud
» alia ſpes remedij eſt, niſi vt libertate Euangelica reuocata, omnibuſq;
» hominum legibus defoſſis in tumulo, nos ipſi omnia iudicemus &
gubernemus. Similem doctrinam apud Caluinum, Bezam, Moneta-
rium, Anabaptiſtas paſſim leges; apud Ieſuitas ne veſtigium quidem
minimum illius inuenies, inuenies autem contrariam prorſus, rationi
& Apoſtolico ſpiritui conformem.

Caroli 5. de Luthero teſtimonium.

Lib: de captiu: Babyl.

Quis verò non miretur inſignem tuam impudentiam, qui à Ieſuitis
Concilium Tridentinum conuelli affirmare audes; cùm nemo ſit qui
illud magis propugnet, diſputationibus, libris, concionibus publicis.
Et viciſſim Concilium idem, an non apertè Ieſuitas probat & com-
mendat, quando occaſione quadam, de illorum inſtituto, ita loqui-
„ tur: Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid immutare aut
„ prohibere, quin Religio Clericorum Societatis IESV, iuxta pium eo-
„ rum inſtitutum à Sancta ſede Apoſtolica approbatum, Domino & e-
„ ius Eccleſiæ inſeruire poſſint. Deſine ergo fruſtrà Ieſuitas cum Conci-
lio Tridentino committere, deſine tuis Sophiſticis ratiunculis ineptè
eos impugnare; quin potius, vbi philoſophari de illis libuerit, ita ratio-
cinare & conclude: Quicquid à Concilio Tridentino probatur, pium
& religioni & Eccleſiæ Catholicæ vtile & neceſſarium cenſeri debet:

Seſſ: 25. ca: 16.

Ieſuitæ à Concilio Tridentino cõmendati.

Digitized by Google

ſed Ieſuitarum Inſtitutum à Concilio probatur: ergo pium, vtile & neceſſarium Eccleſiæ Catholicæ cenſendum. Sed hic Syllogiſmus, vereor, non erit ad palatum tuum; magis enim tibi placent ſapiuntq; calumniæ & contumeliæ in Ieſuitas, & ſimilibus gaudent labra lactucis.

ARTICVLVS XXXII.

Defenditur doctrina Ieſuitarum in concionibus & libris illorum, & quàm ſit diuerſa ab hæreticorum & politicorum ſenſu, oſtenditur.

PErgis in calumniis ſtrenuè, & inter alia carpis egregiè conciones & cõfeſſiones Ieſuitarũ. At quod ad cõciones ſpectat, qualeſcunq; eæ tibi homini nõ acutiſſimo videantur, ſunt certè longe diſſimiles cõcionibus miniſtrorum tuorum. Nam ipſimet palam fatentur (vt noſtrorum de illis teſtimonia taceam) concionibus illorum, mundum multò effectum peiorem, quàm antea fuit ſub Papatu; ita vt qui antea ab vno dæmone obſidebatur, nunc à ſeptem obſideri videatur. Quis „ vnquam vidit, inquit Eraſmus Roterodamus, in illorum concionibus „ quenquam pro peccatis ſuis fundentem lachrymas, tundentem pect„ aut ingemiſcentem? Neminem cõtigit mihi noſſe, qui non ſe ipſo fact„ fuerit deterior. At verò Ieſuitarum concionibus quid mundus profecerit, qualem & quantam mutationem fecerit, teſtis eſt experientia ipſa, vbicunque locorum Ieſuitæ docendi in Eccleſia munus obierunt. Multi enim ſunt ex variis hæreſum lacunis extracti, plurimi à gentiliſmo ad lumen fidei adducti, innumeri ex ebrioſis ſobrij, ex luxurioſis caſti, ex furibundis manſueti redditi; multi denique à mundi illecebris, vſque ad ipſum vexillum Crucis Chriſti & abnegationis propriæ perducti. Nunquam in concionibus illorum auditæ portentoſæ illæ blaſphemiarum voces: *Chriſtum eſſe maximum omnium peccatorem: Deum auctorem exiſtere & impulſorem ſcelerum omnium; Diabolum verò quando homines ad peccandum mouet, Dei potius inſtrumentum eſſe quàm peccati authorem; imo Deum obedire diabolo. Bona opera omnia, non tantum eſſe inutilia, ſed nociua ad ſalutem; Decalogum nil ad Chriſtianos ſpectare.* Non effutiunt vnquam Ieſuitæ illa Cynica veſtra & Epicurea axiomata: *Si domina nolit, veniat ancilla; & in vicem Waſthi, Heſter ſurroga. Rem vxoriam ita eſſe neceſſariam, ſicut eſcam & potum: Vt non eſt in meis viribus ſitum vt vir non ſim, tam non eſt etiam*

Lut: in Poſtill. domeſt. Iena. An: 1550. conc: 2. de Aduẽtu.

Epi: cõtra pſeudoeuãgel.

Calu: lib: 2. Inſt: Tom: 4. Sect: 2. & 3.

Luth: ſer: de Moiſ.

eſt etiam mei iuris vt abſq; muliere ſim. Nihil ſimile docere Ieſuitas. Non proponunt neq; inſtillant cuiquam illa pulcherrima politicorum axiomata, omnem impietatem atq; adeò atheiſmum ipſum redolentia: Quod naturæ libet, licet. Cœlibatum aulicum præſtare honeſto coniugio: non eſſe relinquendam ſyluam integram propter vnam arborem. Quid nouit Deus, quaſi per caliginem iudicat: Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat. Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus: Non eſt reuerſio finis noſtri. Reipublicæ ſtatum & conſeruationem potiorem habendam, quàm religionis: ſtatum ciuilem & politicum, Eccleſiæ ſtatum antecellere: Regum decreta ac placita omnium, primum authoritatis locum obtinere debere: conſcientias lætaliter vulnerare eos, qui in materia religionis neceſſitatem obediendi imponunt: virorum fortium hunc ſcopum, hoc ſtudium, hanc curam primariam eſſe debere, vt vitam degant lætam & affluentem deliciis; quæſtiones autem de religione, togatis hominibus & monachis relinquendas: pœnas inferorum imaginarias eſſe, & triſtitiæ tantum cuiuſdam adumbratæ ac tedij teſtes: præmia vitæ futuræ quæ promittuntur per exaggerationes Eccleſiaſticorum præconum extolli; & non tantum captum, ſed etiam fidem omnem ſuperare, vt quibus temporalia vitæ præſentis commoda, ſi perpetuitas illis adſit, æquiparari poſſint. Deniq; idem politici per iocum ſolent interdum ſeria animi ſui ſenſa exprimere, & infernum potius quàm cœlum ambiendum & exoptandum ſibi eſſe affirmant, eò quòd in ampliſſimo illo Plutonis Regno comitatum habituri ſint pro ſuo ſtatu & conditione nobiliorem: nimirum illic licebit eis auguſtiſſima præſentia & conſuetudine frui tot clariſſimorum heroum, Alexandri Magni, Darij, Herculis, Vlyſſis, Æneæ, Curtij, Romuli, Hannibalis, Scipionum, Mariorum, Neronum, Camillorum, Solimani, Amuratis, Mahometis, Iulianorum, &c. Iſtic occurret turba Philoſophorum, Platonis, Ariſtotelis, Socratis, Diogenis, Theophraſti, Maciauelli, Ochini, Caluini, Bezæ, Socini, Statorij, Epicuri, Sardanapali. Iſtic ſeſe offerrent viri opulentiſſimi, Craſſi, Varones, Tãtali, Midæ, Bacchi, Epulones, &c. Iſtic Poëtæ celeberrimi, Marones, Ouidij, Catulli, Martiales, &c. Oratores item diſertiſſimi, Demoſthenes, Cicerones, Hortenſij, Craſſi, Antonij. Aderunt ſplendidiſſimi aulicorum greges, Necromanticorum præſtantiſſimorum, & Paraſytorum, Mimmorum facetiſſimo-

Staplet: in prompt: Mora: Do- 19. poſt Pẽ- tecoſtes vti citat aut.

Talia ſunt ſolatia, theoremata, & axiomata politicorũ.

Digitized by Google

ceciſſimorum cateruæ, Iannes, Mambres, Elimas, Apollonij, Fauſti, Agrippæ, Scoti. Præſtò erunt Orphei & Syrenes, vt ſuauiſſimo concentu aures demulceant; & ne quid ad ſummam eorum fœlicitatem deſit, aderunt pulcherrimarum fæminarum chori & gynæcia lectiſſima, in quibus exhibebunt ſeſe ſpectandas Dianæ, Iunones, Semiramides, Athaliæ, Ieſabellæ Hebreæ & Britannicæ, Cleopatræ, Lucretiæ, Helenæ, Veneres, Herodiades, Agrippinæ, Wandæ, Rhodopes, Vaſtæ, Kietæ Lutheranæ, & Candidæ Bezoanæ, quæ ſuis blanditiis, ſaltationibus, adulationibus, abſtergent mœrorem omnem politicorum, ſeu tædium, quod vnicum apud inferos reformidant; cùm enim tot ad leuandum illud media ad manus habituri ſint, facilè omnem ex animo moleſtiam abſtergere poterũt, eligentq; , Radbodum illum Friſiæ Principem imitati, cum ſuis ſui ſimilibus apud inferos perpetuum verſari, quàm inter ignotos & pauperes in cœlo degere.

Talia ſunt ſolatia, theoremata, & axiomata politicorum. Nihil eorum ſentiunt aut expetunt Ieſuitæ, ſed abominantur ea omnia, ſed damnant & refutant Et quidem iure optimo, quia à Chriſtianis inſtitutis alieniſſima ſunt, & vt ſuprà dixi, atheiſmum penitus redolent. Quod ne cui incredibile aut duriuſculum videatur, teſtem produco locupletiſſimum D. Auguſtinum, ſanctiſſimum & erudítiſſimum doctorem Eccleſiæ Dei, qui deſcribens Ethnicorum perfidiam, ita eam exprimit & repræſentat, vt ſimul omne politicorum noſtrorum, de quibus iam agimus, ingenium, ſuis coloribus omnibus ad viuum depingere videatur. Affero in gratiam lectoris, ſententiam eius integram, verbis quidem paulò fuſioribus ſed pulcherrimis, cõpræhenſam in hũc modum:

Lib: 2. de ciuit: Dei cap: 20.

D. Augſtini de politicis teſtimonium.

Tantum ſtet (inquiunt) tantùm floreat copiis referta, victoriis glorioſa, vel quod eſt fœlicius, pace ſecura ſit Reſpublica, & quid ad nos? „ Imo ad nos magis pertinet, ſi diuitias quiſque ſemper augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant, per quas ſibi etiam infirmiores ſubdat „ quiſq; potentior. Obſequantur diuitibus pauperes cauſa ſaturitatis, atq; „ vt eorum patrociniis quieta inertia perfruantur, diuites pauperibus „ ad clientelas, & ad miniſterium ſui faſtus abutantur. Populi plaudant „ non conſultoribus vtilitatum ſuarum, ſed largitoribus voluptatum. „ Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent, „ quàm bonis ſed quàm ſubditis regnent. Prouinciæ regibus ſuis, non „ tanquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus & „ delicia-

„ deliciarum ſuarum prouiſoribus ſeruiant, eoſq; non ſynceriter hono-
„ rent, ſed nequiter ac ſeruiliter timeant. Quid alienæ vitæ potius quàm
„ quid ſuæ propriæ quiſque noceat, legibus aduerratur; nullus ducatur ad
„ iudices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam inuito fuerit im-
„ portunus aut noxius. Cæterum de ſuis vel cum ſuis, vel cum quibuſ-
„ cunq; volentibus, faciat quiſque quod libet. Abundent publica ſcor-
„ ta, vel propter omnes, quibus frui placuerit, vel propter eos maximè
„ qui habere priuata non poſſunt. Extruantur ampliſſimæ atq; ornatiſſi-
„ mæ domus, vbi opipara conuiuia frequententur, vbi cuiq; libuerit &
„ potuerit, diu noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes
„ vbique concrepent, theatra inhoneſtæ lætitiæ vocibus atq; omni ge-
„ nere, ſiue crudeliſſimæ, ſiue turpiſſimæ voluptatis exæſtuent, & ille ſit
„ publicus inimicus, cui hæc fœlicitas diſplicet. Quiſquis eam mutare
„ vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat
„ à ſedibus, auferat à viuentibus. Illi habeantur dij veri, hoc eſt illa cen-
„ ſeatur vera religio, qui hanc adipiſcendam populis procurauerunt, ade-
„ ptamq; ſeruauerunt. Colantur vt voluerint, ludos expoſcant quales vo-
„ luerint, quos cum ſuis vel de ſuis poſſent habere cultoribus; tantùm ef-
„ ficiatur, vt huic fœlicitati nihil ab hoſte, nihil à peſte, nihil ab vlla clade
timeatur. Hactenus D. Aug. de Ethnicis, in quibus veluti in ſpeculo
quodam, politicorum noſtrorum imaginem oculis omnium ſpectan-
dam proponit. Eadem enim illi omnia penè ſentiunt, probant, & re
ipſa vbi poſſunt exequuntur. Quid autem idem Sanctiſſimus Doctor
„ de illis ſentiat, his verbis ſubiungit: Quis hanc Rempublicam ſanus,
„ non dicam Romano imperio, ſed domui Sardanapali comparauerit,
„ qui quondam rex ita fuit, vt in ſepulchro ſuo ſcribi fecerit, ea ſola ſe ha-
„ bere mortuum, quæ libido eius cùm viueret hauriendo conſumpſerat.
„ Quem Regem iſti haberent in talibus ſibi indulgentem, nec in eis cui-
„ quam vlla ſeueritate aduerſantem, & huic libentius, quàm Romani ve-
„ teres Romulo, templum & flaminem conſecrarent. Hæc Aug. Cum
„ quo idem ſentiunt Ieſuitæ, idem docent, tum priuatis colloquiis,
„ tum publicis concionibus; quas ſi audiret anonymus, faſtidiret profe-
„ ctò ſuorum miniſtrorum garrulitatem; quibus ſi demas in Summum
„ Pontificem, in Clerum, in Catholicos conuicia & mendacia, mutos
„ & elingues inuenies; tantùm abeſt, vt aliquam guttulam veræ pietatis
„ pectoribus, obrutis peccatis & hæreſibus, inſtillare queant.

ARTICVLVS XXXIII.

Comprobatur modus procedendi Ieſuitarum in confeſſionibus excipiendis, contra calumnias anonymi.

At idem anonymus non contentus concionibus, carpit confeſſiones etiam Ieſuitarum, quibus excipiendis illi vacare ſolent. Et obiicit curioſam arcanorum humani cordis perueſtigationẽ, parum pudicum peccatorum examen; auaritiam item & lucrum ex ſatisfactione pœnitentium quæſitum: allegat denique neſcio quem libellum de confeſſionis methodo conſcriptum, & à Reuerendiſſimo Epiſcopo Olomucenſi reprobatum & ſuppreſſum. Hæc ille inquam obiicit; ſed obiicit tantum, & mendacia mendaciis confirmat & cumulat. Ac Ieſuitæ quidem non tantum publica peccata à pœnitentibus exquirunt, ſed etiam arcana animorũ ſcrutantur, fateor: Quidquid enim Deum creatorem noſtrum offendit, ad tribunal iuſtitiæ Dei, cuius hac in parte non Ieſuitæ ſoli, ſed etiam alij omnes Sacerdotes ab Eccleſia deſtinati vices gerunt, pertinet, & per confeſſionẽ aperiendũ eſt, atq; pro clauium poteſtate illis tradita, ſoluendum vel ligandum, vt ſit ſolutum vel ligatum in cœlis. Facinora impudica omni qua decet modeſtia & verecundia examinant, quod etiam alij honeſtiſſimi quique iudices præſtare ſolent, ne de rebus minùs exploratis ſententiam ferãt: ſatisfactionem præterea & pœnam pro ratione facinorum imponunt; & ſi quando eleeſymonas iniungunt, eas pauperibus & Noſocomiis aſſignant, pro ſe nihil vnquam exigunt, imo oblatas etiam à pœnitentibus vltra, per leges ſuas acceptare non poſſunt. Rationem denique & methodum confitendi eandem, quam viua voce facere ſolent, ſcriptis etiam commendant. Nihil Zoilus abſurdi in libris illorum depræhendet, niſi fortè in libello illo Olomucenſi, qui ex prelo cerebri anonymi noſtri, Ieſuitarum oſoris prodiit, charactere & notis illi ſoli perſpectis, omnium aliorum mortalium ſenſum omnem effugientibus, vt mirum non ſit, ſi Reuerendiſſimus D. Epiſcopus Olomucenſis prohibuiſſe fertur, quominus legi & manibus teri poſſit. Quod enim nuſquam eſt ſcriptum, nuſquam impreſſum, nuſquam extat, ſine maximo abſurdo legi non poteſt.

Libellus de confeſſione Ieſuitarum ab anonymo cõfictus reijcitur.

ARTI-

ARTICVLVS XXXIV.

Vindicatur à calumniis anonymi, conuerſatio & vita Ieſuitarum.

PORrò præter conciones & confeſſiones Ieſuitarum, de quibus hactenus egimus, carpit etiam anonymus conuerſationem & vitam ipſorum; quam etſi caſtam non diffitetur, de auaritia tamen ſuſpectam reddit, & neſcio quod nobilium familiarum viduarumq; & orphanorum decipiendorum callidum artificium improperat. Rectè ſanè habet, quòd caſtam vitam Ieſuitarum, carpat licet, negare tamen (in re manifeſta pro hac vna vice mentiri veritus) non audet. Et quidem meritò; nulli enim ſunt inter eos Creſcentij qui illud perpetuò in ore habeant, & factis oſtendant: *creſcite & multiplicamini*: Nulli ſunt apud Ieſuitas corui ſeu Rabi, qui quoties apoſtatæ vita turpiſſimi, toties euaſere prædicantes. Nulli, qui vxorum commutationem doceant & probent: caſti purique ſunt, quia paſcuntur aſſiduè frumento electorum, & vino quod ſecundùm Prophetam germinat virgines.

Gretſ. in com: de 2. Num.

Flax. ratione 18.

Zach: 9.

Ieſuitarum artificium in decipiendis familiis nullum.

Cæterum quòd artificium illis decipiendarum nobilium familiarũ obiicit impoſtor, artificem ſe ingenioſum oſtendit, vt qui hominum ingenioſorum artificia facile depræhendat. At ſi vir es anonyme, cur obſecro neque artificij modum vllum explicas, neque illius authorem Ieſuitam vllum nominas. Nimirum id modeſtiæ tuæ & beneuolentiæ ſingularis in Ieſuitas ergo ſupprimere voluiſti, homo videlicet miſericors, qui nullum alioquin arrodendi Ieſuitas finem facis, nullis calumniis & conuitiis in eos iactatis exſatiari potes. Pande nobis iſta aliquando clarius, & vel vnam familiam aut perſonam nomina quæ ſe à Ieſuitis circumuentam vnquam conqueſta ſit; & tum demum hominis ingenioſi & veracis nomen tibi comparabis: alioquin liuori tantum tuo indulgere voluiſſe iudicaberis, quo interueniẽte, vt rectè ait quidam, facilè eſt iratis iactare conuitia; ſed ſemper dum intenditur crimen, neceſſaria eſt manifeſta probatio. Cæterum Ieſuitas longè ab auaritia remotos eſſe, & conſequenter ab omni artificio emungendi opes, facilè vel tu ipſe, ſi quando veritatem agnoſcere voles, depræhendere poteris, tum ex ſermonibus, tum ex factis ipſorum quæ in oculos omnium incurrunt. Oratio enim nulla ex eorum ore prodit, quæ diuitiarum congerendarum ſtudium commendet. Ipſi verò ſi quid acquirunt

Optat Mileu: li: 6. cõ.

Ieſuitæ ab auaritia alieni.

Digitized by Google

quirunt vnquam, vel ſummo iure acquirunt, vel ſumma & promptiſſima eorum voluntate, quorum liberalitatem aliquando experiuntur: memores inſtituti ſui, cuius præcipua pars, quæ domibus profeſſis continetur, etiam priuilegio à Concilio Tridentino, omnibus penè religioſis conceſſo, vt deinceps bona immobilia acquirere & poſſidere poſſint, vltro & ſponte ſua renuntiauit; atq; ita renuntiauit, vt ſibi præterea legibus propriis aditum præcluſerit ad omnem etiam eleemoſynam ſtabilem & perpetuam obtinendam, vt neque pro ipſis Eccleſiæ ſartis tectis, aut templorum vſu & ornatu, ſtabile quippiam percipere poſſit. Ac quod magis mireris, nullam etiam arbitrariam eleemoſynam admittit, quæ compenſationis nomine pro laboribus vllis offerretur. In reliquis verò domiciliis, videlicet Collegiis & probationum domibus, fundationes quidem perpetuas admittunt, vt tantò diuturniùs & ſtabiliùs operam ſuam locare poſſint iis Rebuſpub. & cõmunitatibus apud quas verſantur; ſed cum ea moderatione, vt nihil ſuperfluum admittant, quod vel ad alendum requiſitum perſonarum numerum, vel ad alia onera ſubeunda non penitus ſit neceſſarium. Et quia temporum iniuria, maior in dies annonæ, & aliarum rerum caritas ſuccreſcit, hinc accidit, vt pleraq; eorum Collegia, quæ opulentiora aliquando videbantur, ære alieno obſtricta videas, vt nouis ſubinde ſubſidiis egeant, magno indicio & argumento modeſtiæ, quæ illos abuti liberalitate fundatorum, & ab iis copioſiora auxilia exigere minimè patiebatur. Sed hæc de auaritia Ieſuitarum, & artibus emungendi diuitias, allata ſufficiant, quæ os tuum impudens, anonyme calumniator obſtruere, & calamum eiuſdem impudentiæ œſtro imbutum cohibere in perpetuum poſſunt.

Ieſuitæ nullam etiam eleemoſynã nomine cõpenſationis laborum ſuorum admittunt ſui.

ARTICVLVS XXXV.

Defenditur Ieſuitarum in ſcribendo & dicendo ſtyllus.

VEnio ad ſtylum & dictionis Ieſuiticæ modũ, quem tu inter cætera, ne quid prætermittas, coarguis. Et initio quidẽ non improbas, imò aperte (veritate ipſa & rei euidẽtia, te vel maximè reluctantẽ inſtigãte) *terſum & argutum fateris orationem floridam & neruoſam, & cum admiratione excipi ſolitam.* Sed cana hic vulpecula laudat vt perdat, ſcorpio blanditur & lingit vt aculeum infigat. Subdis enim ilicò: *Eos qui ſerio pietatis ſtudio affi-*

Digitized by Google

ſtudio afficiuntur, hæc lenocinia dictionis & ſcriptionis Ieſuiticæ minùs curare, propter affectationis ſtudium, qua Sophiſtis aut ipſis triobularibus rabulis palmam præripere videantur. Mirum ſanè quòd orationem Ieſuiticam affectatam dicere audeas, qui paulò ante eandem ad animorum motum efficacem dixeras. Et verò quæ affectata ſunt, eo ipſo ingrata & ſuſpecta eſſe ſolent, & minus ad inflectendos animos conferunt. Deinde, quomodo eadem ſcripta dictaué illorum piis diſplicere poſſunt, quæ vbiq; pietate reſperſa ſunt, & ad eam omnes cohortantur. Nihil in iis obſcœnum reperies, nihil indecorum, nullas ſpurcitias Lutheri, nulla amatoria Bezæ pſeudoapoſtoli tui. Quare meritò præponenda omnibus tuis obularibus hypodidaſcalis, qui cothurnorum orationes affectant, & per lenocinia verborum, vulgi imperiti aures tantum demulcent, vel animos illius ad omnem rebellionem & tumultum concitant. Ieſuitæ ſi quid interdum contra eos ſcribunt, illorum importunis declamationibus laceſſiti & prouocati id faciunt, vt pro veritate atque Catholicis omnibus decertent; non vt eorum animos exacuant, ſed vt in fide confirment, & ad eam propugnandam vigilantiores reddant, ne per ſocordiam cum detrimento fidei ſuarum pariter fortunarum iacturam aliquando ſubeant, prout ſubiêre nobiliſſima regna aliquot, quæ furor hæreticus euertit: cui vtinam ab initio Catholici fortiter reſtitiſſent, nunquam ita afflictam non modo religionem, ſed neque politicam ſuam etiam perturbatam viderent. Sed nihil mirum, ſi tibi ſtylus Ieſuitarum tantopere diſpliceat. Sentis enim aculeos illius, & ſentiunt tecum vnà, vbicunq; terrarum ſunt, miniſtri familiares & commilitones tui, Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Arriani, & cæteri omnes, toties & tam efficaciter profligati illorum ſcriptis, proſtrati diſputationibus publicis, colloquiis priuatis conuicti. Extant contra eos Ieſuitarum volumina integra typis mandata, tum eorum qui iam ex hac mortali vita ad immortalem commigrarunt, tum verò eorum qui adhuc ſuperſunt, & contra omnes incurſus ferarum iſtarum ſylueſtrium, quæ vineam Domini Sabbaoth infeſtare ſolent, excubant, ad omnem occaſionem retundendi illarum impetum intenti ſemper & parati.

Ieſuitis quæ cauſa ſcribendi.

Stilum Ieſuitarum ſẽtiunt hæretici.

ARTICVLVS XXXVI.

Jeſuitas cum magno animarum fructu apud Indos & populos Septemtrionales verſari.

Digitized by Google

Ab oratione & ſtylo Ieſuitico, orationem ſuam conuertit anonymus ad conuerſionem barbarorum in vtraq; India, quæ pro Ieſuitarum commendatione adduci ſolet. Et quomodo tandem hunc nodum ſoluit? Captata occaſione mentiendi & fallendi ex diſtantia illarum regionum à nobis, egregiè ſe expedit, & eludit omnia prouerbiolo vno. En Rhodus, en ſaltus. Quo nimirum ſignificare vult, occaſione diſtantiæ longiſſimæ Indiæ ab Europa, ſecurè negari poſſe Ieſuitas Indiam attigiſſe, aut conuerſionem vllam gentilium ad fidem Chriſti procuraſſe, eo quòd, inquit, Caſtilienſes & Luſitani nullum extraneum ad illas regiones admittant. Aterras turpiſſimè inprimis anonyme, dum cenſes de illis regionibus & locis, quæ magno à nobis terrarum & marium interuallo diſtant, licere perinde verum dicere atq; mentiri: hac enim ratione omnis penè humanæ hiſtoriæ fides per te conuulſa fluctuaret: Quæ de Indiis & Bracmannis, quæ de remotiſſimis Æthiopibus, Perſis, & interiora Libiæ & Aſiæ incolentibus nationibus paſſim ab omnibus Geographis & Hiſtoricis ſcribuntur, fide certa carebunt. Et quid ais tandem à malitia excæcate impoſtor? Ieſuitas in vtriſque Indiis eſſe negas? atqui non tantum vtrobique ſunt, ſed etiam nouem Prouincias integras numerant, quarum ſingulæ ſub ſe domicilia ipſorũ plurima continent; & inter alia, Collegia triginta ſeptem recenſent. Præter Sinas, apud quos in quinque diuerſis locis verſantur, & Collegium vnum Macaenſe, cum aliis quatuor diuerſis reſidentiis poſſident. Hiſtoriæ id omnes, quotquot res Indicas proſequuntur, adſtruunt. Extant plurimæ illorum epiſtolæ in Europam tranſmiſſæ, & quotannis ferè nouæ afferuntur: veniunt & redeunt inde non pauci. Inſtituuntur à Principibus vltrò citroq; legationes: Inter quas illa nuper ante hos paucos annos extitit ſingularis & celeberrima, in qua Romæ in theatro orbis viſi ſunt tres Reguli Iaponenſes, à Ieſuitis deducti, qui nomine Regnorum & nationum ſuarum Summi Pontificis Romani, vicarij Chriſti obediẽtiæ ſeſe ſubiecerũt. Deſideraſné plura teſtimonia aut grauiora, atqui his maiora ne fingere quidẽ poteris. Fatetur id orbis Chriſtianus vniuerſus, fatentur ipſi hoſtes Ieſuitarum capitales; quin Arnaldus ille rabula Pariſienſis, qui nullam occaſionem obtrectandi & detrahendi Ieſuitis prætermiſit, apertè concedit eos apud Indos diuerſari. Quo verò cum fructu animarum diuerſentur, teſtantur luculentiſſimè omnium hiſtoricorum noſtri temporis, qui Indiarum meminerunt, ſcri-

Ieſuitæ apud Indos frequentes.

Ieſuitæ quo fructu apud Indos verſẽtur.

runt, ſcripta. Certè Iaponia ſola, præter tot alias vaſtiſſimas regiones, vltra vicies centena millia, ad fidem Chriſti per Ieſuitas adducta numerauit. Et præſens rerum illius ſtatus, quantumuis non ſatis adhuc pace domeſtica firmatus, gentilium quadringenta millia his aliquot poſterioribus annis per baptiſmum renata cenſet. Hæc de Indis.

Porrò ab Indis in ſeptentrionem neſcio à quo ſpiritu delatus anonymus noſter, fatetur in his partibus hæreticos multos à Ieſuitis ad fidem Catholicam conuerſos, eò quòd id omnibus conſtet. Gratulor illi quòd aliquando vel ſummam lucem aſpexerit, homo alioquin liuore & furore contra Ieſuitas excæcatus: Sed miror quomodo cætera quoq; quæ in eadem luce verſantur minimè videat; nimirum rationes & argumenta, quibus Ieſuitæ, vt hæreticis conuerſionem perſuadeant, vtuntur. Fingit enim neſcio quæ vitrea, ferrea, aureis & argenteis à Romana & Polonica aula ſuppeditatis permixta, ſiue arma ſiue argumenta eos depromere. Atqui omnium oculis patet, quibus armis & argumentis Ieſuitæ depugnent & conuincant hæreticos. Aggrediuntur enim illos inprimis ſcripturis ſacris, deinde Conciliorum Eccleſiæ Catholicæ & ſanctorum Patrum & Doctorum teſtimoniis, tum rationibus à lumine ipſo rationis, in quantum fidei Catholicæ à calumniis illorum vindicandæ ſubſeruire poſſunt, petitis; vt omnes quotquot per eos ad fidem Catholicam conuerſi hactenus fuerunt, teſtimonium perhibent: quem verò argento, ferro, aut vitreis armis expugnarint, hucuſq; inuentus eſt nemo. Neopoliticorum enim & hæreticorum propria hæc ſemper fuere. Sed rurſus Ieſuitas perſequens, à Septentrione in Moſchouiam tranſit anonymus, & neſcio quæ infœlicia Moſchouiæ imminere à Ieſuitis vaticinatur. Ecquidem quod ad Moſchouiam attinet, ſubſecuta ſunt in ea nec pauca nec leuia mala. Sed neq; præuiſa ab illo, neq; talia in quibus Ieſuitis vel minimas partes vendicare ſibi potuerint, vt pote quæ longè ex aliis fontibus emanarint. Et quidem duobus potiſſimum: internecione Demetrij & rebellione Ducatus Seuerienſis, armis necem Principis ſui vindicantis. Ac Moſchi quidem occiderunt illum, non à Ieſuitis, quorũ vix nomen audiuerant, perſuaſi; ſed propriis quibuſdã rationibus ſuis inducti, quòd negarent illum legitimum Regni ſui ſucceſſorem, quòd profuſas largitiones in Polonos, cum magna publici theſauri iactura, fieri minus æquo animo ferrent: quòd præter morem maiorum, conſortem imperij coniugem

Ieſuitarũ cõtra hæreticos & alios infideles arma.

Ieſuitæ nihil hactenus in Moſchouia aut Perſia paci cont. artium moliti ſunt.

Digitized by Google

ex natione externa à Principe ſuo adſciſci viderent; quòd Ducatus Seuerienſis, Pleſcouienſis, Smolenſcenſis, alienationem ab imperio ſuo, priuilegiis firmari, cùm dotis tum donationis nomine in præiudicium ſuũ animaduerterent: quòd denique ſuſpecta haberent illius conſilia cũ gẽte Polona ſibi alioqui in ſemper infeſta. His illi & ſimilib9 rationibus impulſi, cædem Demetrij perpetrarunt. Et hoc ipſo occaſionẽ præbuerunt Seuerienſibus, vt pro Principe è viuis ſublato, cui illi ab initio addicti ſemper fuerant, zelarent, & arma capeſſerent contra cædis illius auctores. Nulli hic Ieſuitæ interuenerunt (qui Seuerienſibus multò etiam minus quàm aliis Moſchis noti fuerunt, nedum rebellionis incentores) nulla de religione conſilia, nulla negotia tractarunt; ſed neq; tractare potuerunt, cùm aditu etiam Demetrij arcerentur, ab illis qui ei erant à ſecretis, hoc eſt eiuſdem cum anonymo farinæ hominibus, Machiauelopoliticis & hæreticis; qui dum ſuis adulationibus illum tantùm Deo non æquarent, dum ſuis artibus dirigerent, dum pollicitationibus & ſpebus vaniſſimis Regnorum vicinorum potiundorum lactarent, hominem elati ingenij, & non omnium mortalium ſapientiſſimum penitus perdiderunt. Sed de Moſchouia hactenus.

Tranſit deinde anonymus noſter cum Ieſuitis in Perſiam, ne vllum prorſus angulum prætereat, in quo nocere illis poſſit. Rumor illum quidam nimirum incertus perculit, & ſollicitum reddidit, ne illud quoque imperium Ieſuitæ turbarent, vel potius ne Mahometis ſectam inde radicitus euellerent, & fidem Chriſti plantarent. Ego verò hic inprimis miror in te, anonyme, tantam circa orbẽ vniuerſum ſollicitudinem, in te inquam, homine non omnium ſplendidiſſimo, qui in aliquo Pruſſiæ angulo deliteſcens, putridos haleces tractas & redoles: deinde te omni penitus metu liberum eſſe iubeo. Ieſuitæ enim etſi expetiti & inuitati ſint à legatis Regis Perſarum, quos nuper in Polonia vidimus, miſſionem tamen eam minimè acceptarunt, parati tum demum acceptare, quando à legittimis ſuis ſuperioribus requiſiti miſſiq; fuerint. Excurrunt quidem ab Indiis interdum, & fines Perſarum attingunt, nullum tamen apud Perſas domicilium certum figunt, nec in aula Regis comparent. Quare nihil eſt quod ab illis tibi vel Perſis metuas; futurum eſt enim (quantum proſpicere poſſum) vt omnibus diebus tuis, (niſi De9 prouidentia & miſericordia ſua ſingulari gentem illam præueniat) ſaluum & incolumem in Perſiam Mahometem videas, &

Ieſuitæ nihil habent cum Perſis.

Digitized by Google

deas, & pro tuo in ipſum ſtudio ac zelo inſigni, vehementer læteris. Saluus tibi ſeruatur caper & hœdi.

ARTICVLVS XXXVII.

Immeritò anonymum Scholis Ieſuitarum obtrectare.

PEragrato orbe penè vniuerſo anonymus, & Ieſuitis vndequaq; quod in ipſo erat, profligatis, redit tandem ad ſcholas eorum, non vt animum vagum & ſtultiſſimum colligat, & à ſtultitia vindicet, ſed vt modum inſtituendæ iuuentutis carpat, quod ſecundo loco, pro Ieſuitis allegatum, confutaturum ſe receperat. Aſſerit itaq; *viros doctiſſimos etiam Catholicos, rationibus firmiſſimis, iam dudum orbi demonſtraſſe, Ieſuitas bonis literis obfuiſſe, & ingenia non tam cultiora quàm ſtupidiora ab illis eſſe reddita.* Sed quantum ad hoc caput attinet, ſat ſuperq; confutari poteſt ex iis quæ ſupra ex orbis Chriſtiani vniuerſi contrario ſenſu, in medium à me allata ſunt. Quodſi id minus probent perpauci quidam Zoili, haud ita mirum videri debet. Nihil enim, ait quidam, in rerum natura tam ſacrum eſt, quod ſacrilegum non inueniat. Seneca li: de conſer: ca: 3.

Rationes illorum inanes multi alij viri doctiſſimi, in omni ſcientiarum genere verſati egregiè confutarunt, & res ipſa vel illis tacentibus ſatis per ſe loquitur, omniumq; maleuolorum ora facilè obturat. Loquitur multitudo Collegiorum, clamat frequentiſſimus ſcholaſticorum numerus, qui ex omnibus penè mundi plagis & nationibus ad Ieſuitarum ſcholas conuolant: teſtatur egregius eorum in literis & pietate profectus: atteſtatur auctoritas omnium ordinum, qui tam multos viros egregios, Ieſuitarum aliquando opera & induſtria excultos, ad magnos in Repub. honores & dignitatis gradus quotidie penè euehunt, & quidem in Repub. noſtra plures & grauiores ſpectandos exhibent, quàm vt ab vno anonymo obſcuriſſimo obſcurari vel ſupprimi poſſint.

ARTICVLVS XXXVIII.

Defenditur Ieſuitarum in rebus agendis induſtria.

IMprobat præterea & refutat anonymus eos, qui Ieſuitis in rebus arduis expediendis, magnam dexteritatem & fidem tribuunt, & ad

Digitized by Google

hoc argumentum tractandum ſe totum confert, ac quicquid quiſquiliarum ex omnibus orbis angulis corradere potuit, in medium affert, vt dexteritati & fidei Ieſuitarum tenebras offundat. Sed laterem lauat: illuſtrat potius quàm obſcurat Ieſuitarum fidem & induſtriam, dum eam dicacitate tantum & inani verborum ſtrepitu obtundere conatur: *allegans amiſſam Sueciam, deuaſtatam Liuoniam, afflictam Galliam, tentatam Scotiam, turbatam Angliam, Moſchouiam, Venetias, Vngariam, Styriam, Carinthiam, Carneolam.* Mirum quod non adiecerit Schytiam, Turciam, Græciam, Syriam, Lybiam totã, tot motibus & reuolutionibus agitatas, vt omne illarum omnium malum, eadem opera & impudentia, ſolis Ieſuitis affingeret. Sanè tam multa Ieſuitis imponit, vt propediem expectemus ab eo, vt ſemel omnia orbis mala, quæ ab initio mundi geſta ſunt, Ieſuitis necdum natis adſcribat, affirmetq; neq; Adam peccare, neqꝫ mundum diluuio perire, neq; Sodomam & Gomorrham ab ignibus cœlo demiſſis conflagrare potuiſſe, niſi Ieſuitæ, ab vno necdum integro ſeculo exorti interueniſſent; ſiquidem tam hæc certa & euidentia ſunt, quàm ſuperiora illa prouinciarum tot enumerata ab anonymo incommoda. Et certè, ſi auſus eſt Sueciæ & Liuoniæ turbatæ Ieſuitas auctores conſtituere, audebit pari impudentia, reliqui orbis totius mala in eos reiicere. Res enim Sueciæ & Liuoniæ recentes ſunt, & in oculis omnium verſantur. Nota eſt omnibus origo & cauſa bellorum & tumultuum, qui in illo Regno oborti ſunt: Notus rebellionis Dux & auctor Carolus Sudermanus: Noti alij perduelliones, & quidem vel hæretici, vel Machiauelopolitici, qui contra omnia iura diuina & humana, in ſuos legittimos Principes inſurgunt, & armis & tumultibus omnia replent. Hæc inquam lipis & tonſoribus nota ſunt omnia, vno excepto anonymo, qui liuore & odio contra Ieſuitas excæcatus, in media luce tenebras palpat, & quod omnes norunt ſolus ignorat. Sed aduerte hominis ingenium, lector, vt ſibi apud omnes nihilonimus fidẽ comparet, duabus interrogatiunculis, veluti duobus cornibus exagitare Ieſuitas pergit. Videamus & excutiamus vtrumqꝫ, vt petulcum hũc hircum perpetuò fœnum in cornu geſtantem, reddamus excornem & ridendum omnibus propinemus.

Primum quærit: quomodo hi qui Ieſuitas propugnant, fidem & induſtriam illorum in rebus tractandis prædicare audent, cùm Ieſuitæ nihil minus videri volunt., quam vt ſecularibus negotiis ſeſe admiſcere „ „

nedum

» nedum periti earum eſſe videantur; videant, inquit, qui eos tantopere » hoc nomine commendant, qua ratione hæc inter ſe concilient. Atqui nullo negotio conciliabunt, ineptiſſime Sophe: Aliud ſiquidem eſt, non admiſcere ſe negotiis ſecularibus, aliud tractare dextre negotia inſtituto proprio & vocationi conuenientia. Ieſuitæ homines ſpirituales cùm ſint, à negotiis ſecularibus meritò abhorrent. Nemo enim militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, Paulo Apoſtolo teſte. At quod iidem tractare poſſint & ſciant negotia quæ inſtituto & vocationi ipſorum non repugnant, meritò inde laudari debent. De iis qui foris ſunt, nil ad ſe pertinere iudicabat Apoſtolus; at idem ſpiritualem hominem omnia iudicare poſſe apertè fatetur, quæ videlicet homini ſpirituali conuenire poſſint. Alterum cornu interrogationis eſt, quo quærit, quid egregij natio hæc inter nos præſtitit, quidué tam dextrè expediuit? Reſpondeo pro illis. Et vt prætermittam communia & ordinaria quæ in oculis omniũ verſantur, iuuẽtutis in pietate & ſcientiis inſtitutionem, populorũ à gentiliſmo, hæreſi & ſchiſmate conuerſionem, extirpationem vitiorum, renouatum in Eccleſiis cultum, adiutum Clerum, & id genus alia. Nonné magno patriæ noſtræ vniuerſæ bono Ieſuitæ fuerunt, qui Regni Proceribus ad id deſtinatis adiuncti, pacem inter Ioannem Moſchouiæ Ducem & Stephanum Battoreum Regem, nomine & auctoritate Summi Pontificis Vicarij Chriſti cõfecerunt, confectamq; pactis certis ſtabilierunt? Quæ in eis aut fides aut induſtria hac in parte deſiderata fuit? In militia Polona & exercitibus Regni, nonné ſemper cum magno fructu verſati ſunt? Nam præter ordinariam operam ſuam, quam concionibus, Sacramentorum adminiſtratione, conuerſatione impenderunt, in tractandis animis militum, & in officio continendis, quanta fide & induſtria ſe hactenus geſſerint, teſtes ſunt nobiliſſimi militiæ noſtræ Polonæ Præfecti & Tribuni, teſtes ipſi ſupremi exercituum Poloniæ & Lithuaniæ Duces, bello & pace clariſſimi, lumina patriæ noſtræ, ſingulari beneficio his præſertim calamitoſis temporibus à Deo donata. Viuunt adhuc & florent, & quoties res exigit & occaſio poſcit, ampliſſimum virtuti, fidei & induſtriæ Ieſuitarum teſtimonium perhibent. Quod vel vnicum & ſolum omnibus Zoilorum omnium in Ieſuitas calumniis oppoſitum, diſpellet cuncta figmenta, & euaneſcere in auras faciet.

2. Tim: 2.
1. Cor: 5.
1. Cor: 2.

Ieſuitæ quid in Regno Polonæ præſtiterint.

Duces militiæ Polonæ & Lithuanæ laudati.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XXXIX.

Ieſuitas iure optimo, & libera Gallorum voluntate in Galliam reuocatos eſſe.

POſtremo tandem loco idem anonymus affert & refutat eorum ſententiam, qui Ieſuitarum partes tuentur, cenſentq; in conueniens eſſe, vt Ieſuitas Poloni expellant, quos Galli eiectos rurſus reuocarint. Et primum ſe ſat noſſe affirmat, eos reuocatos in Galliam eſſe. Facilè credo illum id noſſe, quod orbis vniuerſus fateri illum neceſſariò cogit. Sed dolere inde plurimum nihil dubito. Quare vt dolorem ſuum aliquantulum leniat, ſuadeo legat Paracletum Lutheranum, quẽ Iacobus Gretſerus, Littho, Miniſtro cuidam, de grege vituli cucullati Islebienſis, eadem de cauſa ex imo pectore grunnienti tranſmiſit. Inueniet abunde, vnde ex ipſis fontibus Islebienſibus ſubleuare poſſit mœrorem omnem, etiam intima viſcera cruciantem. Negat deinde libera Gallorum voluntate reuocatos eſſe Ieſuitas in Galliam, ſed ad magnam potius Summi Pontificis inſtantiam, & vt hac ratione Rex „ Henricus quartus ſecuritati ſuæ conſuleret, à Ieſuitarum eiectorum in- „ ſidiis nunquam alioquin ſatis tutus futurus. At huic nobiliſſimo men- „ dacio oppono prudentiſſimi & ſapientiſſimi Regis eiuſdem ſententiam. Is enim cùm huiuſmodi primum rumorem ſpargi intellexiſſet, aduocato Cottono palam proteſtatus eſt contrarium, hiſce verbis conceptis: Scito ſpargi per Pariſios vocibus aliquorum hominum, me, quæ „ veſtra cauſa facio, facere non ſyncerè ac libenter, ſed victum impor- „ tunitate Curiæ Romanæ, & ideò gratum mihi fore, ſi Parlamentum „ huic negotio ſe opponat: verùm ſunt iſta artificia certorum capitum, „ quæ hoc modo volunt tegere ſuam inobedientiam; ſed ego faciam vt „ cognoſcant me nec diſſimulare nec adulatorem eſſe, nec cuiuſquam „ importunitate adigi, ſed ratione cogi velleq; veſtra opera vti. Extat e- „ iuſdem Chriſtianiſſimi Regis alius quoq; libellus apologeticus, pro iiſdem Ieſuitis, typis editus, in quo apertè fatetur à ſe reuocatos eſſe in Galliam, nec alias cauſas huius ſui conſilij affert, quàm quòd depræhenderit manifeſtè, ea omnia, quæ illis fuere à calumniatoribus obiecta, falſa eſſe, & quod cùm de eorum reſtitutione ageret, duo hominum genera obſeruauerit illis obſiſtere, nimirum hæreticos & malos Catholi-

Ieſuitæ libera Gallorũ voluntate & publica auctoritate in Gallias reſtituti.

Catholicos; vtroſq; ſibi acriorem ſtimulum ad eos reuocandos addidiſſe. Idem Chriſtianiſſimus Rex, cùm audiret quendam hæreticum conqueri de Ieſuitis, & obiicere illis, quòd omnia regerent & guber-
„ narent: loquere, reſpondit, mitius & veracius. Non enim ſiue me ſiue
„ alios Reges gubernant, ſed gubernantur ipſi. Quodſi conſilium ab
„ illis interdum petitur, non tanquam à Ieſuitis, ſed tanquam à viris pru-
„ dentibus, & expectationi de ſe conceptæ reſpondentibus, petitur. Ali-
„ ud eſt ſe immiſcere, aliud immiſceri negotiis. Si ego iure iubeo ſubdi-
„ tis, vt mihi obtemperent, etiam cum ipſo vitæ diſcrimine, cur non poſ-
„ ſunt aut debeant Ieſuitæ morem quoque gerere mihi, iudicium & ſen-
„ tentiam expoſcenti ab eis? At mos ille inualuit per ſummam nequiti-
„ am, vt ſi quid ab vllo Ieſuita fiat aut dicatur, id ſtatim in malum ſenſum
„ conuertatur. Cæterum ſi vtiles & chari ſunt viris Principibus, idné
„ vobis ipſorum inſcitiæ aut inertiæ aut maliciæ videtur argumentum?
„ Tales Ieſuitæ ſunt, vt bonis accepti, malis & improbis ſint exoſi, his verò atq; illis perutiles, toti porrò Eccleſiæ neceſſarij. Tale fuit ſapientiſſimi Regis de Ieſuitis iudicium, vt mirum videri non debeat, ſi eiuſdem auctoritate publica in Galliam reuocati, quieti ac ſecuri viuunt; neq; tantum ſua recuperarunt omnia, ſed nouis etiam Collegiis & fundationibus, munificentia tum ipſius Regis inprimis, tum aliorum Procerum & Vrbium Galliæ adaucti & ſtabiliti ſunt; vt minimè verendum ſit, quod anonymus phanatico afflatus ſpiritu vaticinatur fore, vt aliquando Gallia conſilij ſui in reſtitutione Ieſuitarum pœniteat. Neque enim aut Ieſuitæ vnquam tot beneficiis obſtricti, Galliæ rebus niſi commodare & ſeruire poterunt, aut Gallia quos tam altas radices agere permiſit, vnquam euelli patietur. Præuiderat id futurum idem ille Chriſtianiſſimus Rex, quem toties honoris cauſa commemoro: Cùm enim quidam ei ſuggereret, Ieſuitas non habuiſſe vnquam fixas & ſtabiles ſedes in Gallia, ſed tantum toleratos fuiſſe. reſpondit: Deus mihi hanc gloriam ſeruauit, quam ego magni beneficij loco pono, vt eos in Gallia ſtabiliam. Stabiliret ſcilicet, eos quorum fidem ſuſpectã haberet: in viſceribus Galliæ collocaret, & ad aulam ſuam accerſeret, illorumq; opera confidenter vteretur, à quibus ſibi metueret.

In defenſione Societatis Ieſu.

Atqui hæc ſunt præcipua tenebrionis anonymi in Ieſuitas tela, quibus non contentus, alia atq; alia ſubmittit, iaculandi non tam probè peritus quàm ſtultè auidus, ac meritò quidem ea poſtremo loco reſeruauit.

ſeruauit. Leuiſſima enim ſunt & viliſſima, quæ vel vno flatu leuiſſimo retundi poſſent: at ne ſolo ea contemptu eluſiſſe videamur, excutiamus obiter ſingula.

SECTIO QVARTA ANATOMIÆ.

In qua probatur anonymum ineptè & mala fide reiicere ea, quæ pro retinendis in Polonia Ieſuitis, à propugnatoribus eorum allegari ſolent.

ARTICVLVS XL.

Oſtenditur anonymum mala fide allegare & refutare incommoda, ob quæ Ieſuitæ pelli è Polonia non poſſint, & ineptè eoſdem comparare Crucigeris.

POſtquam debacchatus eſt pro ſua dicacitate liberiùs in eos, qui ita perſuaſi ſunt, neque Rempub. neque Eccleſiam noſtram, Ieſuitarum opera carere commodè poſſe; aſſerit præter hos eſſe alios quoſdam, qui etſi Ieſuitarum acta omnia minimè probent, in illos tamē nil grauiùs ſtatui patiuntur, quòd id citra maxima Reipub. incommoda, ne tentari quidem poſſe exiſtimant. Refert & refutat varia incommoda ab illis allegata, neutrum bona fide præſtans. Nam & fingit quædam, quæ illis ne per ſomnium quidem venerunt in mentem vnquam, & dicacitati tantum ſuæ campum quærit. Inter incommoda illud primum allegari aſſerit, quòd Summus Pontifex & Hiſpanus Ieſuitis pulſis grauiſſimè nobis offendetur. Neutrum magnopere curandum cenſet. Et vt primùm de Pontifice fidem faciat, affert tria maiorum exempla, qui auctoritatem Summi Pontificis, commodis Reip. poſtpoſuêre. *Primùm ex Ænea Syluio narrante, in cauſa quæ cum Polonis interceſſerat cum Crucigeris, decretam fuiſſe contra Regem Regniq́ Poloniæ Proceres excommunicationem, cuius nulla ratio à Polonis habita fuit. Et hic ſimul Ieſuitas comparat cum Crucigeris, vt illos eandem inuidiæ aleam ſubire faciat.* Alterum exemplum citat Sigiſmundi primi Regis Poloniæ, qui non obſtante indignatio-

dignatione Romana, *Albertum Brandeburgicum hominem hæreticum, Ducem Pruſsiæ inſtituit.* Tertium Iacobi Vchanski, Archiepiſcopi Gneſnenſis, qui excommunicationis telum, quod in eum Pontifex direxerat, retorquere in Pontificem decreuerat. Reſpondeo ad ſingula hæc exempla. Atque quod ad primum attinet, miror vel impudentiam vel ignorantiam anonymi, quòd rerum Polonicarum exempla ab exteris ſcriptoribus petere maluerit, quàm à ciuibus & domeſticis hiſtoricis; qui, quæ Regno cum Cruciferis interceſſerint, quæuè Romæ tranſacta fuerint, ſat luculenter & copioſè deſcripſerunt; nulla contemptus excommunicationis à Polonis oſtenſi mentione facta. Deinde quòd Syluium, rerum Polonarum teſtem, adduxerit; qui quid de Polonis ſentiat, & quo animo erga eos affectus ſit, penè omnia ſcripta ipſius paſſim indicant, & tantum non iuratum hoſtem denuntiant. Cauſas indignationis eius inueſtigare, in præſenti mei inſtituti non eſt; anonymus, ſi placet, eas inueſtiget, qui per ſummum otium ſeipſo neglecto, quæuis alia omnia inueſtigare ſolet. *Poloni nullam Pōtificis excōmunicationem contēpſere.* *Syluius Polonis minus fauit.*

Idem anonymus cùm per hanc occaſionem Ieſuitas cum Cruciferis comparat, tot mendacia inſerit, quot comparationis membra explicat. Ieſuitæ enim neq; ortum communem cum Cruciferis habēt, vt omnes hiſtoriæ teſtantur; neq; finem eundem, neq; eandem Politiæ formam. Media verò, vt ipſe vel inuitus tandem fatetur, longè diuerſiſſima; vt vel ex his duntaxat deprahendere cuiq; liceat, maximum inter eos diſcrimen eſſe. Etſi enim æquiuoca quadam ratione, in militiæ nomine conuenire videantur, armis certè longè diuerſiſſimis longiſſimè à ſe diſtant. Cruciferi enim ex inſtituto ſuo, arma viroſq; bellis viſibilibus & ſecularibus idoneos requirunt; Ieſuitæ arma ſpiritualia, militiæ ſpirituali opportuna tractant, & pugnant contra ſpiritualia nequitiæ, ſuccincti lumbos in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; & galeam ſalutis aſſumunt, & gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei. His illi inquam armis bella Domini exercituum præliantur, & tantùm à Cruciferis differunt, quantùm arma ipſorum à Cruciferorum armis differunt. Anonymus ſi hæc omnia artes appellat, quarum Polonia ante hac expers fuerit, fallitur vehementer & fallit. Polonia enim huiuſmodi arma ab eo tempore quo fidem Chriſti accepit, ſemper in vſu habuit, antequam *Ieſuitæ nil habent cum Cruciferis.* Eph: 6. *Ieſuitarum arma.*

vlli vel Cruciferi vel Ieſuitæ extarent. Fallitur & fallit multò etiam magis, cùm Ieſuitas Crucigerorum ſpurios eſſe mentitur. Suo ſe velim primum metiatur pede, & genus ſuum diligenter inueſtiget, ne fortè ipſe terræ filius ſit, aut fœdiſſimi alicuius apoſtatæ Crucigeri nothus, neué illum fortè natum recens, probarit gurgite Rhenus, neué ex nobiliſſima illa proſapia Lutheri prognatus, quem ex incubo & focaria cuiuſdã ſacrificuli impij progenitum ferunt & ſcribunt viri fide digniſſimi. Videat deniq; ne ex eorum ſtirpe deſcendat, quibus ab ipſo Chriſto aliquando dictum eſt: vos ex patre diabolo eſtis. Nam qui eius mendacia omnia, qui calumnias & odia in Ieſuitas conſideret, ipſiſſimam ſobolem diaboli, qui ab initio mendax & homicida eſt, planè agnoſcet. Sed neq; magnopere & genus & nomen eius quod in hac morologia ſua premit, vt potè cœlo terræq; inuiſum, inueſtigabit quiſquam. Quodcunq; enim genus aut nomen ſibi vſurpet Corydon, Corydon ſemper erit; Ieſuitis etiam ex virtute & natalibus, ſuus ſemper honor permanebit, quocunq; nomine vel genere ab impoſtore cenſeantur. Non enim Nereus Therſites vocatus pulchritudinem quam habebat amiſit, nec Socrates etiamſi Critias fuerit appellatus, & Pythagoras Phalaris ex mutatione nominis aliquam labem contrahere potuit.

Anonymus ſuſpectus de natalibus.
Ioan: 8.

Ad Sigiſmundum Regem quod atttinet, quem ſecundo exemplo citat anonymus, tanquam ſedi Apoſtolicæ repugnantem; probare ante omnia debuerat, id ab illo in præiudicium Romani Pontificis factum. Ille enim cum Alberto Branderburgico, nõ tanquã cum apoſtata à fide & excommunicato, ſed vt cum hoſte ſuo tranſegit, quem armis ad pacta & fœdera certa ineunda compulit, vt belli tam diuturni & cruenti finem aliquando imponeret: Eccleſia Romana pacis ſemper inter Principes & populos Chriſtianos auidiſſima, minimè reluctante, vt pote quæ ſua auctoritate libertati Principum in iis quæ bono communi Eccleſiæ non præiudicant, nunquam præiudicare ſoleat.

Reſpondetur ad Sigiſmundi primi exemplum, ab anonymo obiectum.

Poſtremum Vchanij exemplum, in quo tantopere triumphat anonymus, ad rem nihil prorſus facit: fuit enim imprudens omnino, & animoſitatis cuiuſdam impetuoſæ plenum, ideoq; ab omnibus improbatum, & cuius ipſum quoque poſtea vehementer pœnituit & meritò. Quid enim abſurdius excogitari potuit, quàm vt inferior gradu & ordine, in ſuum ſuperiorem, eum præſertim qui vniuerſi gregis Chriſti paſcendi in Eccleſia poteſtatem accepit, excommunicationis telum

Vchanij exẽplum diſcutitur.

irrito la-

Digitized by Google

irrito labore vibrare præſumeret? Et verò ego, qui ſexennium in obſequiis illius exegi, ſanctè atteſtari poſſum, eum facti illius ſui inſigniter pœnituiſſe. Cùm enim aliquando de præteritæ vitæ ſuæ rationibus coram domeſticis aliquot, me quoque præſente, familiariter diſſereret, ingenuè faſſus eſt, ſe aliquando in eo errore fuiſſe, vt exiſtimaret inter Summum Pontificem & quemlibet Epiſcopũ, nihil diſcriminis ineſſe, peſtilentiſſimis quorundam hæreticorum ſcriptis perſuaſus. Memini etiam integras chartarum & epiſtolarum thecas, in quas coniiciebat deſtinatas ab hæreſiarchis vndiq; litteras, Vulcano deuouiſſe, & crebro iniquitatem temporis illius, in quo hæreſis feruebat, deteſtatum & execratum fuiſſe. Nos verò iuniores à peſtilentiſſimis illis ſcriptis ita arcebat, vt ne contrectare quidem permitteret omnes illas chartas, quas hæreticorum manus exaraſſet, aconito conſperſas & oblitas eſſe dictitans. Se deniq; ad nullam vnquam hæreſin pertrahi potuiſſe, & ſemper ab ea abhorruiſſe profitebatur: errores tantùm de iure & iuriſdictione quoſdam fouiſſe, quos poſtea recollecto animo abieciſſet. Qualis verò poſtea iuris Pontificij & auctoritatis Romanæ ſedis defenſor extiterit, vel hinc apparet, quòd cùm eſſet legatus natus, & cauſæ multæ & ſatis arduæ ad eius tribunal deuoluerentur, nihil niſi ex præſcripto iuris Canonici decerni paſſus eſt, ſemperq; peritiſſimos iuris Pontificij doctores penes ſe habuit. Cæterum in tuenda religione Catholica feruorem eius ſumma quadam grauitate conditum, non ſemel admirati ſumus, præſertim dum ad populum verba faceret. Tunc vidiſſes acerrimum hæreſum expugnatorem, & confœderationis quaſi iuratum hoſtem, ad quam ſubſcribendam nullis vnquam artibus aut terroribus hæreticorum adduci potuit. Dicebat præterea nobis audientibus, ſe de inſtituendo Collegio Societatis IESV & Louicij collocando, ſeriam voluiſſe ſuſcipere cogitationem, niſi vicinum Collegium Pultouienſe obſtitiſſet. Atq; in eam rem domum ampliſſimam extruxerat, quam profeſſoribus & magiſtris Cracouia accitis addixit. Et nihilominus non exiguum numerum nepotum & ſanguine iunctorum, nobilium adoleſcentum, non alibi erudiri & inſtitui voluit, niſi in Collegio Societatis IESV Pultouienſi. Porrò quanto in precio habuerit P. Scargam, Warſzeuicium, Wuiecum, cæteroſq; Societatis Patres, & quantis laudibus efferebat Hoſium, Noſcouium & Valerianum, Epiſcopos, qui primi in Regnum hoc Societatis IESV inſtitutum

 introdu-

introduxere, & Collegiis fundatis hanc ei palmam præripuêre, teſtis horum omnium, inter alios, locupletiſſimus eſt, R. D. Franciſcus Lipski, inſigni pietate & in rebus gerendis dexteritate vir, quem eiuſdem Præſulis à teneris annis alumnum fuiſſe nouimus, & tantum profeciſſe videmus, vt ſiue res Eccleſiaſticas tractet, ſiue iudiciis tribunalitiis præſideat, præclaram ſemper palmam obtineat. Quare hic quoque non patietur ſui amantiſſimi patris & benefactoris laceratam famam inultam, ſed & ipſe hunc anonymum conſultorem, vbi in eum inciderit, ita depexum reddet, vt in poſterum ſciat, quàm periculoſum ſit mortuo etiam Leoni, barbam vellere. Sed hæc de Vchanij exemplo.

Venetorum factum nihil apud poſteros præiudicabit Ieſuitis.

De Venetis iam ſupra à me reſponſum eſt abunde. Nihil enim prorſus occaſione facti illorum Ieſuitis metuendum eſt à poſteritate, quæ factum Venetorum ſuis momentis expendet, & cum orbis Chriſtiani reliqui iudicio conferet, iudicabitq; ac decernet, quod ratio, quod veritas, quod æquitas ſuadebit. Venio ad Hiſpanum, cuius metu deterreri nonnullos Polonos anonymus fingit, quominus exilium Ieſuitarum probare audeant. Et quidem metum hunc à ſe confictum duplici quadam ratione diſcutere conatur. *Primò, quòd Ieſuitæ non eo loco iam ſint in Hiſpania, quo aliquando fuerunt, ſed in plerisq; vrbibus propter neſcio quas artes teſtamentarias, & nobilium vſurpata patrimonia, in ordinem redacti ſunt, alicunde etiam expulſi. Deinde non magnopere curandam eſſe Regis tam diſsiti à nobis gratiam vel indignationem; ſiquidem non magis Polonia Hiſpaniæ, quam Hiſpania Poloniæ ad reddẽdas adminiſtrationis ſuæ rationes obnoxia eſt.* Ego verò vtramq; hanc ratiunculam anonymi, claudicare aſſero & oſtendo. Nam prima, ex puris affirmatiuis mendaciis conſtat. Siquidem Ieſuitæ in Hiſpania ſuum priſtinum ſtatum & locum, quem ab initio tenuerunt, retinent: imò ſi vnquam hactenus floruerunt, florent hoc tempore potiſſimum, florebuntq; ſemper Deo adiuuante, quamdiu res Catholica in Hiſpania floruerit. Id anonymus ſin minùs credit aut ſperat, ſaltem exemplo nos aliquo edoceat, quibus in vrbibus Hiſpaniæ, & in quem ordinem redacti ſint Ieſuitæ, vnde expulſi. Quod ſi oſtendere non poterit, ſaltem calumniatorem ſe manifeſtum fateatur, digniſſimum qui nõ tantum in ordinẽ redigatur, ſed ab omnibus Regni Poloniæ ordinibus & vrbibus eiectus, vagabũdus veluti alter Cain toto orbe oberret.

Poſterior illa ratiuncula multò etiam debilior eſt. Etſi enim Polonia non magis dependet in ſua adminiſtratione ab Hiſpania, quàm Hiſpania

Digitized by Google

ſpania à Polonia, at Hiſpania ſaltem inſigne exemplum præbet Poloniæ fouẽdi & complectendi Ieſuitas, quos niſi valde vtiles eſſe Reipub. & Eccleſiæ Dei animaduerteret, nunquam eos tot Regum & Principum ſuorum, tot Regnorum & Prouinciarum, tot vrbium & vniuerſitatum calculis approbaret, nunquam eorum ordinem atq; inſtitutum, tanto ſtudio ad Indos vſq; & Sinenſes promoueret. Norunt enim Hiſpani qui tam latè imperant, hominum ingenia, & nonniſi magno delectu illorum opera vti ſolent. Experiatur ipſe anonymus noſter, ſi ei placuerit, adeatq; Hiſpaniam, & tentet fortunam ſuam, quo ibi loco eſſe poſſit, qui tam ſapiens ſibi in nidulo ſuo videtur. ſat triumphabit iſtic, ſi etiam inter ſubulcos Hiſpaniæ aliquem locum nactus fuerit. Hæc ad duas illas ratiunculas ipſius & breues & friuolas.

ARTICVLVS XLI.

Reſſelluntur quatuor ratiociunculæ, quibus anonymus probare contendit Ieſuitas, ſalua iuſtitia ſaluoq; iure patriæ, pelli poſſe.

SVbiicit poſtea ſolidiorem quandam pro Ieſuitis rationem, quàm vt eam refellere poſſit, quantumuis omnes ingenioli ſui vires & neruos intendat; nimirum, qua Catholici probant (imò euincunt planè) iniquiſſimum eſſe, vt Ieſuitæ, inter quos non pauci ſunt nobiles, eodem cum reliquis nobilibus Patriæ priuilegio & iure gaudentes, nec auditi, nec legittimè conuicti Regno pellantur. Quid adhæc tenebrio iſte? *Concedit inprimis eſſe alicuius id momenti, quodq; apud omnes bonos iuſtiq; amantes meritò valere deberet. Sed in Ieſuitis negat habere locum poſſe. Idq; quadruplici ratione confirmat. Primò, quòd in iis quæ Reipub. ſalutem concernunt, & periculum in mora ſecum trahunt, neceſſe non eſt ordinarium iuris proceſſum tam ſuperſtitioſè obſeruare. Secundo, quòd hic non contra certas perſonas agitur, aut de facto alicuius quæritur, ſed de incommodis Reipub. quæ ab inſtituto Ieſuitarum, etiamſi perſonæ ipſæ puri angeli eſſent, ſemper metui poſſunt. Tertiò, quòd forum Ieſuitæ nullum agnoſcant. Quartò, ſuppletum iri hac in parte omnem proceſſum iuris, ſi totius equeſtris ordinis deputati publicè conuenientes, vnanimiter decernant, inſtitutum Ieſuiticum contra Rempub. & libertatem Polonicam venire, eiusq; abrogationem à Regia Maieſtate flagitent.* Hæc ſunt illa argumentorum & rationum fulmina, quibus ſe deieciſſe & euertiſſe prorſus Ieſuitas putat anonymus. Diſpiciamus obſecro ſingula.

Ait inpri-

Refutātur quatuor ratiunculæ anonymi pro expellendis Ieſuitis.

Ait inprimis, in iis quæ Reipub. ſalutem concernunt, & moram non patiuntur, proceſſum nullum ordinarium requiri. Atqui dabo id libenter & gratis concedam huic tanto Sopho, ſi primùm probauerit Ieſuitas ſalutem Reipub. impetere, atq; ita impetere vt periculum in mora timeatur; quorum cùm neutrum hactenus probauerit, & gratis tantum aſſeruerit, meritò abſq; vllo alio reſponſo reiici debet: maximè cùm boni omnes contrarium planè videant, & fateantur, Ieſuitas magno Reipub. commodo inter nos commorari. Secunda ratio ſubtilior eſſe videtur, ſed quæ ſubtilitate ſua corruit, & ſeipſam confundit. Quale enim eſt hoc quod aſſerit, hic neq; certam perſonam neq; factū vllum inquiri, & tamen inſtitutum ipſum Ieſuitarum ad pœnam poſtulari debere. Ieſuitas ergo omnes & ſingulos, liberos & immunes à culpa eſſe poſſe pronuntiat, & nullo ſuo facto incommodare Reipub. Inſtitutum autem illorum accuſat: at explicet nobis velim nugator iſte, quid inſtituti Ieſuitarum nomine intelligat, quod ipſum per ſe noxium & perniciosum Reipub: ſit. Nam ſi diſtinctum aliquid à Ieſuitis intelligit, puta Chimeram aliquam æthera roſtris & vnguibus lacerantem, detrahat inde monſtrum & ad Garamantas vſq; abigat. Sin verò idem eſſe cum Ieſuitis fingit, videat quàm rectè cōcludat, quàmq; bellè ſecum conueniat, aſſerens Ieſuitas ex inſtituto ſuo viuentes, per ſe innoxios eſſe poſſe, & tamen ratione inſtituti pœnis exilij ſubiacere debere.

Inſtitutum alicuius ordinis vnde metiendum

Sed & inſtitutū alicuius ordinis ex more & vſu loquendi illud cenſere ſolemus, quod certis legibus eiuſdem ordinis continetur; atq; earundem legum æquitate, omnem inſtituti rationem & naturam metimur. Quare vt inſtitutum Ieſuitarum impium & pernicioſum Reip. oſtendat anonymus, leges & regulas ipſorum inprimis improbet neceſſe eſt. Et tunc demum de Ieſuitis triumphabit, & corona laurea donabitur; interim autem ſtraminea, quæ ſapientiſſimum caput ipſius pro dignitate exornet, vtatur & viuat ridiculus.

Ieſuitæ forum ordinarium agnoſcunt.

Tertia ratiuncula eius negat Ieſuitas vllum forum agnoſcere; ſed ea debilior & futilior eſt, quàm vt refutari debeat. Conſtat enim quotidiana experientia ſole clarius, Ieſuitas eoſdem in Regno iudices legittimos agnoſcere, & ab iiſdem iudicari quos reliquus Clerus Poloniæ agnoſcit, & à quibus iudicari ſolet. Teſtantur id tribunalia ipſa & Officiales omnes, quorum vel auctoritate vel opera, controuerſias quæ illis interdum cum aliis intercedunt, accommodare ſolent. Quarta & poſtrema ratio anonymi

perplexa

Digitized by Google

perplexa eſt; & quid ſibi velit, non ſatis ſe explicat. Nam illum iuris ordinem & ſufficientem contra Ieſuitas proceſſum, quem ex conſenſu omnium ordinum pendere affirmat, vel factum iam in Polonia contendit, vel futurum ominatur; at neutrum planè locum hic habere poteſt. Factum enim nullum allegare poteſt, cùm ne auditum quidem hactenus ſit, in vllis publicis Comitiis & Conuentibus Regni, in quibus vniuerſi ordines vnà cum Sereniſſimo Rege conuenire ſolent, vt Ieſuitæ in ius vocarentur ab aliquo, aut ad pœnas exilij poſtularentur. Imò verò (quod ad rem præſentem maximè facit, & anonymum Ieſuitarum hoſtem confundere & deiicere pœnitus poteſt) cùm nuper in penultimis Regni Comitiis Warſzauiæ habitis, rationes & modi omnes inirentur, quibus poſt domeſticos illos tumultus, pacata omnia Reipub. & patriæ noſtræ redderentur, & diligenter cauſæ præteritorum motuum omnium inueſtigarentur, nemo de Ieſuitis conqueſtus eſt. Et cùm inſuper ad omnem ſatisfactionem maleuolorum quorundam, qui flagrante tumultu mentionem odioſam Ieſuitarum iniecerant, publico Senatus & omnium ordinum nomine denuntiatum fuiſſet, vt ſi quam de Ieſuitis querelam quiſpiam haberet, eam in theatro illo & facie Reipub. liberè deponeret; nullus inuentus eſt, qui vel vnicum verbum de illis inferret: ſummoq; ſilentio res excepta & tranſacta fuit: vt vel hinc Ieſuitarum innocentia publico illo omnium ordinum conſenſu probata eluceret; & appareret omnem illam ante Comitia ſiniſtram de illis mentionem tempori perturbato attribuendam eſſe, quo nimirùm furor armis turbabat omnia, & non modò Ieſuitæ, ſed omnes penè alij ſtatus Reipub. ab aliis inuicem carpebantur. Pacatis verò rebus poſtea omnibus, omnia in ſuum priſtinum ſtatum reſtituta fuerunt, & ſua cuiq; exiſtimatio & honor integrè conſtitit. At fortè in hac ratiuncula ſua poſtrema, non id contendit anonymus, vt factum iam aliquid in hoc genere contrà Ieſuitas ab omnibus ordinibus oſtendat, ſed vt viam ſaltem pandat & commonſtret, qua ratione Ieſuitæ citra omnem iuris proceſſum, pelli licitè poſſint. Sed præterquam quod virus hic ſuum contrà Ieſuitas effundit, nihil prorſus agit. Ordines ſiquidem nobiliſſimi huius Regni, auita pietate & ratione reguntur, & nunquam contrà ius & fas in perniciem alicuius conſpirant, vt innocentem quempiam condemnent: neq; vllum hactenus per Dei gratiam exemplum reperitur, quod redargui hac in

Ieſuitæ omnium ordinum cõſenſu probati.

parte poſſint. Speramus de diuina prouidentia deinceps quoqu e fore, vt per angelum quem Regno huic pro more aliorum regnorum præfecit, publicam iuſtitiam ſartam tectam nobis in finem vſq; conſeruet. Quare non eſt quod malè ominetur Ieſuitis anonymus ab ordinibus Regni: Ieſuitæ enim ij viri ſunt, qui tribunalia omnia magnopere reuerentur, & ab illis duntaxat incommodo aliquo affici poſſunt, à quibus æquitas & iuſtitia exulat. Quod cùm de publica vniuerſorum ordinum auctoritate affirmari non poſſit, vt paulò ante oſtendi; ſecuri erunt in hoc Regno Ieſuitæ, & florebunt tamdiu, quamdiu publica auctoritas & iuſtitia floruerit. Vt autem floreat ſemper, omnes boni à Deo ter Optimo Maximo aſſiduè precantur. Abſit à patria noſtra, abſit à nobiliſſima Repub. quæ maiorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, iuſtitiæ cultrix ſemper egregia extitit: abſit inquam, vt diuinarum pariter & humanarum legum, imò humanitatis ipſius oblita, in homines innocentes, nec in ius vocatos, nec auditos, nec legittimè conuictos, cædibus, exiliis, ſpoliatione bonorum omninm ſæuiat, quæ etiam in perditiſſimos homines, prædones, ſacrilegos, parricidas, nihil grauius, niſi eos conuicerit ſcelerum, ſtatuere ſolet. Et certè, ſi (quod Deus longiſſimè auertat) hanc communem nationum omnium, imò ipſius naturæ legem ſemel tranſiliret, non tantum aureæ ſuæ libertatis iacturam faceret, (quod enim ſeruitutis genus miſerabilius eſt, quàm iniuſtitiæ morem gerere) ſed omnibus ſe exoſam redderet. Cui enim tutò liceret, aut etiam liberet, in ea Repub. viuere, in qua contrà omnia diuina & humana iura, nullum ab æquitate & innocentia ſuâ ſperare poſſet ſubſidium? Sed de quatuor ratiunculis anonymi hactenus.

ARTICVLVS XLII.

Oſtenditur, Ieſuitas citra offenſionem multorum, ex Polonia pelli non poſſe.

ADdit præterea aliud, quod pro retinendis in Polonia Ieſuitis, à nonnullis (æqui veriq; amantibus videlicet) afferri ſolet. Nimirùm domi & foris, multos illorum expulſione offenſum iri. Quod vt refellat, tria omninò aſſerit. Primum: Neſcire ſe quàm multi futuri ſint, quorum offenſionem pertimeſcere debeamus, ſi præſertim reliqui Cleri Poloniæ ſecuritati caueretur. At verius dixiſſet, neſcire ſe

velle eos

Digitized by Google

velle eos qui offendi poſſint. Etenim, niſi prorſus furore quo contrà Ieſuitas flagrat excæcatus ſit, facilè in omni genere & ordine obſeruabit multos, qui Ieſuitarum exilium iniquiſſimo animo ferrent. Ferrent inprimis multi, quos Ieſuitis multis ſanguine iunctos aliàs oſtendi: ferrent illorum patroni & fundatores, quorum ſupra memini: ferrent alij plurimi, qui eorum operam tum in erudienda iuuentute ſua tam numeroſa, tum in variis eorum miniſteriis & officiis perutilem ſibi quotidie experiuntur. Sed nullum periculum ille aduertit, ſi reliqui Cleri ſecuritati caueretur. Caueretur ſcilicet ſecularibus Clericis, ſi religioſis qui minus politicis faceſſere negotij poſſunt, non parceretur. id ad oculum demonſtrat experientia Regnorum aliquot, Vngariæ, Angliæ, Scotiæ, Sueciæ, ex quibus religioſos primùm ordines, deinde Clerum omnem expulerunt pſeudopolitici & pſeudoeuangelici illi, edocti à magiſtro omnis impietatis Luthero; qui cùm nullos adhuc noſſet Ieſuitas, quid de toto Clero Catholicæ Eccleſiæ ſenſerit, ſat ſuperq; declarauit libro illo ſuo fanatico, quem de Papatu à dæmone fundato inſcripſit. Secũdo loco *aſſerit anonymus neminem turbatum ob id iri, præter eos qui fortunas ſuas ita cum Ieſuitis coniunxerunt, vt illis cadentibus ſtare nequeant, quiué conſiliorum illorum & molitionum contra Regnum ſunt conſcij.* Ego verò nihil dubito, multos ita pio & religioſo animo erga Ieſuitas affectos eſſe, vt malint etiam fortunarum ſuarum iacturam ſubire, quàm cum tanta honoris diuini & rei Eccleſiaſticæ iactura, illorum præſentia & ſolatio carere. Qui autem conſcius malorum conſiliorum & contrà Rempub. inter eos ſit, neminem prorſus ſcio, imò neq; ipſe anonymus deſignare audet certum quempiam, dum interſerit vocem illam *fortè*. Quid ſi ille ſine vllo fortè, certo certius mentitur, & Ieſuitas tantùm ſuſpicioni cuidam exponit. Videat ne fortè, aut ſine fortè, proditionis Regni ipſe ſit reus, & vt à ſe crimen auertat, Ieſuitis illud imponat. Tertio deniq; addit idem, minimè curandos eſſe eos, qui Ieſuitis priuari ſe ægre paterẽtur, ſicut non reſpuimus tormina quæ medicinæ operationem conſequi ſolent. At ij tot & tales ſunt anonyme, (vt à me ſuperius oſtenſum eſt) quorum maxima ratio merito haberi debeat; & cùm multi ex eorum numero ſint, qui Collegia Ieſuitarum in pleriſq; Regni ciuitatibus præcipuis vel erexerunt, vel ſua auctoritate & opibus egregiè promouerunt & auxerunt, vt ſecundùm Dei Optimi Maximi honorem & patriæ ornamẽtum, nomen etiam familiarum ſuarum

Pulſis Ieſuitis, etiam reliquus Clerus periclitabitur.

Multi Ieſuitarum exilium ægrè ferent, & quinam potiſſimum.

ſuarum ad poſteros propagarent. Quid putas, omnes iſti quibus oculis Ieſuitas, innocentes præſertim, Regno pelli ſpectarent? Quibus te, tuiq; ſimiles tam barbari conſilij authores, diris non deuouerent, & cane & angue peius non execrarentur? quando tenerrima patriæ viſcera, tam rudium æſculapiorum imperitia, torminibus non torqueri ſolummodo, ſed enecari crudeliſſimè viderent.

ARTICVLVS XLIII.

Probatur Miniſtros hæreticorum omnes iure optimo pelli poſſe, non item Ieſuitas.

SEd ad finem tandem morologiæ ſuæ properans anonymus, recenſet etiam illam Catholicorum pro Ieſuitis conſeruandis inſtantiam: Si Ieſuitæ, (aiunt illi) extra Regnum proſcribi deberent, etiam Euangelicorum miniſtri omnes exterminandi pariter eſſent. Id ille concedit libenter, ſcilicet, ſi iidem æquè pacis & libertatis publicæ turbatores conuincerentur. Deinde Catalogum texit apologiæ miniſtrorum, eoſq; cum Ieſuitis ita confert, vt longè anteponat. Patiare obſecro lector, immorari me aliquantulum hoc loco, & ſingula præclaræ illius apologiæ membra excutere, vt diſiectis mendaciorum nubibus, veritas magis ac magis eluceſcat. Ac primum benè res habet, quòd cõceſſerit anonymus miniſtros ſuos æquè pellendos eſſe, ſi turbatores pacis fuerint; nihil enim facilius de illis probari poteſt, & à me iam ſupra multis rationibus & exemplis probatum eſt, illos vbiq; diſſidia & tumultus ciere ſolere. Produxi teſtem luculentiſſimum Eraſmum Roterodamum alumnum ipſorum, citaui aliorum ſententias & exempla. Vnum tantùm nunc addo, quod nimirùm anno proximè elapſo in Tranſyluania contigit: Ioannes Retegi ſuperintendens Caluiniſtarum apud Tranſyluanos, à Principe ſuo Gabriele Batthoreo gladium ſanguine cruentatum accepit, eumq; ad ſuos Caluinianos Engedinum miſit, cohortatus illos, vt enſes ſuos ſanguine Papiſtarum ad eundem modum tingerent. Reſpondeat ad hæc omnia primùm anonymus, & tum demum miniſtros ſuos pacificos demonſtret. An verò ſoli, qui per Poloniam vagantur, miniſtri pacifici erunt, & alium ſpiritum habebunt diuerſum ab eo, quem habuere primicerij illorum, ſpiritum inquam vertiginis, quo omnia vbiq; ſuſq; deq; turbarunt? Pacemnè euangelizare

Miniſtri hæreticorũ omnes optimo iure expelli poſsũt.

Digitized by Google

gelizare poterunt, qui inter ſeipſos tam acriter de fidei articulis diſſident, & ſibi inuicem errores & hæreſes obiiciunt & exprobrant? Deinde, tam multæ Eccleſiæ illorum ſuaſu Catholicis ereptæ & ſpoliatæ, tot ſacerdotes pulſi & eiecti, eos homines eſſe turbulentiſſimos, & pernicioſiſſimos apertè conuincunt, vt qui in ipſa viſcera Reipub. ſæuiant, ſacra & Deo dicata loca, freti auctoritate patronorum ſuorum, audacter violent & occupent, ciuium animos auitæ pietati & religioni addictorum exacerbent, atq; ad vim quam patiuntur, vi repellendā exacuant. Magiſtratus etiam ſupremos tyrannidis inſimulent, & in eorū perniciem homines inquietos arment atq; incendant, vt inter alios egregiè id præſtitit nuper Miniſter quidā Podolicus Zelgouius in ſuo Epicheremate, non ita pridem typis mandato. De his tu potius anonyme eiiciendis cogita & conſilia cape, vt potè hominibus profugis, apoſtatis, nullis legibus publicis communitis, nullo Regni conſenſu publico approbatis aut receptis, non per oſtium legitimum ingreſſis, ſed clam per inſidias aut etiam per quorundam priuatorum audaciam potentiamué ſubintroductis. At laceſſere & inquietare deſine homines pios, eruditos, Eccleſiæ Dei & patriæ noſtræ vtiles, nobili genere magna ex parte prognatos, qui ordinis ſpiritualis priuilegiis & libertatibus gaudent, quos Rex, Senatus, equeſtris ordo, pro ciuibus ſuis agnoſcit, & iuribus patriæ adſcriptos ac communitos benignè fouet ac retinet. Quod ſi ad vnius tui hominis obſcuri palatum minus facit horum ſocietas, minuſq; te delectat bonorum virorum conſuetudo, iungas te (per me licebit) lurconibus illis miniſtris & anteſignanis tuis, cedas cum iis omnibus, & tanta patriam ſentina ſubleua, atq; ſi ſors ita tulerit, dux etiam gregis tanti, vt pote te digniſſimi facto, partem in Scithiam, partem ſitientes in Afros ducas. Bonorum certè ciuium nemo ſe vobis comitem adiunget, nemo abeuntes gemitu aut ſuſpirio vllo proſequetur, ſed magis elogio illo celebrabit: Abite malæ peſtes, beſtiæ truculentæ, aſpides venenatæ; & optatiſſimo diſceſſu veſtro, priſcam illam pacem, concordiam, animorum inter ciues vnionem, veſtris conſiliis & conatibus impiis perturbatam, aliquando nobis & patriæ vniuerſæ reſtituite. Sed videamus cætera elogia, quibus anonymus eoſdem miniſtros ſuos exornet, & Ieſuitis antecellere adſtruat. *Nullum, inquit, Pontificem aut Hiſpanum Miniſtri in hoc Regno habent, nullas in Repub. & aula partes, nulla prædia in detrimentum nobilitatis coëmpta,*

 nullas im-

nullas immunitates, nullas deniq; vires, nullas diuitias poſſident. Sanè ſat ſcimus omnes, nullum eos Pontificem, nullum Epiſcopum, ſed neq; præsbyterum quidem vllum, (niſi fortè apoſtatam aliquem) inter ſe habere. Habuiſſent tamen haud dubiè Papam ſuum Conſtantinopolitanum, ſi illud conſilium Germaniæ miniſtrorum, à Socolouio viro doctiſſimo detectum, deinde etiam refutatum, ſucceſſiſſet; ſed eluſit eos fortuna, & ſolertia Græcorum. At ne prorſus acephali videantur, colunt & venerantur Pontificis & Hiſpani loco, Gallum, Germanum Ægyptium, Caluinum inquam, Lutherum, Arium, & omnes qui locum illorum in Cathedra peſtilentiæ tenent, atq; pro illorum honore & auctoritate conſeruanda, tanquam pro aris & focis, roſtro & vnguibus corui pertinaciſſimi pro coruis decertant. In aula & Repub noſtra, nullas partes habent, fateor ita eſſe, maximo bono patriæ noſtræ: non quòd illi ab aula abhorreant, ſed quia locum apud Principem piiſſimum, homines impiiſſimi & ſordidiſſimi habere nequeunt; alioquin in aulis principum hæreticorum, Germaniæ, Angliæ, Vngariæ frequentiſſimi. Nulla etiam prædia iidem, apud nos poſſident. Perpauca, quod ipſe quoque ſciam, ſed noſtin' cauſam? Nimirum indies viuere & abligurire omnia, nihil de Oeconomia ſoliciti, ſed ſtipendiis conducti annuis acquieſcere malunt. Excipio tamen nonnullos, qui in populis & vrbibus frequentioribus, in quibus prædiola, hortos & viridia cum viuariis bene accommodata ſint, & ſe ac familiolam ſuam, quoties libet oblectant, vt videre eſt Gedani, Torunij, Regiomonti, Elbingæ, & alibi vbi in pretio aliquo ſunt.

Hæreticorum pontifices.

ARTICVLVS XLIV.

Diſcutiuntur diuitiæ Miniſtrorum hæreticorum, ab anonymo extenuatæ.

AD extremum diuitias miniſtrorum ſuorum exactius deſcribens anonymus, eas in tribus potiſſimum collocat. *In lacera & detrita reuerenda: in tenui Bibliotheca, vt quæ præter Bibliorum, & quando res lauta eſt, Auguſtini codicem, nihil contineat: denique in nuda & numeroſa ſobole.* Expendamus quæſo ſuis momentis (in gratiam anonymi, & miniſtrorum eius omnium) ſingula diuitiarum iſtarum præclara ornamenta. Laceram & detritam tunicam, quam primo loco numerat, non diffiteor me

teor me quoque in pleriſque eorum obſeruaſſe. Incedunt enim communiter ſordida & obſoleta veſte, malè corpori accommodata, ſemi cincti & pene ſoluti, vt exterior diſſolutio ſit interioris euidens argumentum: ſed non eſt quod tantopere id in illis miremur, voluntariam (ſcilicet!) paupertatem profitentur, vt perfectionis ſuæ Euangelicæ exemplar exhibeant. Sponte enim decoquunt elegantiores & honeſtiores prætextas omnes, ne in publico geſtent, vnde ſuperbire poſſint. Non deſunt autem inter eos, qui & Curios ſimulent, & Bacchanalia viuant, non quo operiantur, ſed quo impleant ventrem magis ſoliciti. Alij obolos coaceruare malunt, vt vſuris poſtea exercendis vacent, ne penitus otientur, & Iudæos non tantum habitu exteriore referant, ſed etiam profeſſione imitentur. Vnum adhuc obſtat quominus illos ad viuum exprimant, ſi videlicet pro præputio circumciſionem aſſumant. Id ſi aliquando admittant, ipſiſſimi recutiti erunt. Sed abhorrebunt (vereor) à placitis veteris legis (ſiquidem adeò abhorret Lutherus anteſignanus illorum, vt etiam decalogum abiiciat) & fortè Euangelicæ perfectionis zelo, ad Eunuchorum gloriam aſpirare eligent. Id verò ſi aliquando perficiant, duplex inde emolumentum referent. Alterum, quòd certiorem inter ſe pacem mutuam experientur, quæ frequentius Zelotypiæ pugnis, quàm Euangelij quæſtionibus inter eos turbari ſolet: Alterum, quòd vocem acutiorem & ſuauiorem ſibi comparabunt, pluſquam neceſſariam ad frequentes cantiunculas Euangelicas, quas domi & foris in Synagogis & Sympoſiis ſuis occinere ſolent, vt populo placeant, nec ſemper incondito baſſo, (vt vulgari hac voce vtar) aures illius obtundant, ſed falſetis interdum demulceant, vt concentui falſi Euangelij ſui egregiè per octauas reſpondeant.

Lacera & incondita Veſtis, hæreticorum miniſtris vſitata.

Quid dicam de Bibliotheca ipſorum, quam anonymus vehementer extenuat, & præter Biblia, & in re lauta Codicem Auguſtini, nulla alia volumina librorum admittit. Pace tua anonyme dixerim, parum te verſatum in Bibliothecis tuorum doctorum oſtendis. Peregrinus es prorſus, & qui vix eas ſalutaſſe à primo limine videris. Ego qui aliquamdiu inter illos vixi, multò copioſiore apparatu inſtructas obſeruaui. Exhibent enim communiter Catechiſmum Lutheri, in vno cum Æſopi fabulis volumine compactum: Habent eiuſdem Doctoris, menſalia Colloquia, leporibus, & lepidiſſimis remediis contra immundos ſpiritus pleniſſima: Habent Bezæ, Ouidij, Virgilij, grauiſſimorum

Bibliotheca miniſtrorum hæreticorum.

morũ auctorum, amatoria: Habent Aulenſpigel, ex quo contra varios tentationum & deſolationum ſpiritualiũ impetus remedia decerpere ſolent. Habent Claudij Narrij aureum planè opuſculum, & ad ſpiritũ Euangelicum, quem ſectantur, excitandum valde opportunum: Habent Schemhamforas, libellum contra Ioannem Worſt. & id genus alia plurima, quæ multò frequentiora apud eos viſuntur & leguntur, quàm Biblia aut codices Auguſtini, quem nec viſum nec lectum, ac multò minus intellectum, ſæpè allegare ſolent. tanti autem faciunt, quanti ipſum Mahometem, in quantum cum ſcripturis & ſenſu ac captu illorum conuenit. Sed etſi non ita libris abundarent, nemo illos iure arguere poſſet: cùm conſtet eos, ad prædicandum Euangelium communiter nonniſi ex viliſſima hominum fæce aſſumi, Sutores, Cerdones, Carnifices, qui Libero magis quàm libris aſſueti, non ita ſunt ſolliciti de eruditione & doctrina, vt eam aſſidua librorum lectione aſſequantur, quàm vt ſpiritum aliquem Pöeticum vel Pythonicum, ad æquales hauſtus hauriant, vnde viſuntur apud eos & aliæ quædam Bibliothecæ (Bibliothecæ inquam) ſubterraneæ Libero patri dicatæ; quæ quoties ab illis viſitantur, & euoluuntur, toties eos nouo quodam ſpiritu perfundunt, vt muſto pleni & ſint reuera, & eſſe videantur. Sed tranſeamus à Bibliothecis ad poſtremam eamq; precioſiſſimam miniſtrorum Gazam. Hanc anonymus numeroſam prolem appellat; fateorq; ipſe rem ita prorſus habere. Miniſtros omnes Euangelicos abundare copioſa prole, & cum Iudæis ac Cingaris imò cum ipſis leporibus de fœcunditate certare. Cauſæ huius variæ eſſe poſſũt. Forte enim cum vocationis ſuæ ſpiritu, miſſi ab illis qui ventri & gulæ iugiter vacant, fœcunditatis donum percipiunt, forte aquis ex fonte quodam Bœoticæ hauſtis, qui venerem accendunt, frequentius quàm clitoriis vtuntur. Fortè aſſiduo zelo flagrant propagandi generis humani, & ad ſe maximè omnium pertinere exiſtimant illud: creſcite & multiplicamini; ne illorum incuria mundus intereat, aut ſemen Chanaan ſaltem aliquando deficiat. Commouentur etiam non parum auctoritate magiſtrorum & primipilorum ſuorum, qui rem vxoriam maximè neceſſariam, caſtitatem impoſſibilem prorſus eſſe docuerunt. *Qui caſtè viuere vult* (inquit Luth:) *cum Deo pugnat.* Et alibi: *Quàm non eſt* (inquit) *in meis viribus ſitum, vt vir non ſim, tam non eſt mei iuris, vt abſque muliere ſim. Vt in manu tua non eſt, vt fœmina non ſis, ſic nec in te eſt, vt*

abſque viro

Digitized by Google

abſque viro degas. Non enim libera eſt electio aut conſilium, ſed res eſt neceſſaria, vt marem fœminæ, fœminam mari ſociari oporteat. Verbum enim hoc quo Deus ait (creſcite & multiplicamini,) non eſt præceptum, ſed plus quàm præceptum, diuinum puta opus, quod non eſt noſtrarum virium, vel vt impediatur vel vt omittatur, ſed tam eſt neceſſarium, quàm vt maſculus ſim, magiſq́ neceſſarium quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, dormire & vigilare. Eſt implantata natura, haud ſecus ac membra ad eam pertinentia. Idcirco ſicut Deus nemini præcipit, vt ſit mas aut fœmina, ſed creat vt ita eſſe oporteat: ita nec præcipit creſcere & multiplcari; ſed creat vt neceſſe ſit eos multiplicari. Et ſi quando volumus prohiberi ipſum, prohiberi non vult, ſed tranſit nihilominus viam ſuam per fornicationem, adulterium. &c. His aliiſq; ſimilibus aphoriſmis, tanti patriarchæ ſui animati miniſtri, quid mirum, ſi proli multiplicandæ totos ſe dedant, & in dies ea augeantur. Et ſi quando per ætatem augeri non poſſunt, at bonam voluntatem præſeferant, & ſaltem ad exemplum, & euitandum populi ſcandalum, nunquam vel in ipſa extrema ætate fœmina carere ſe poſſe oſtendant. Hinc enim illud decretum miniſtrorum Scotiæ emanauit, quo præſcribunt, vt quiſq; ſui ordinis, etiamſi octogenarius ſit, fœminam ſibi deligat (fœminam, inquam, non vxorem) vt bono exemplo populo ſuo præluceat. *Guilhel: Reginal. in Caluino-turcis li: 2. cap: 11.*

Poteſt autem & alia eſſe cauſa tantæ fœcunditatis miniſtrorum, nimirum poligamia, quam illi etſi non ita palam, vt gentiles & Mahometani anteſignani eorum, profiteri videantur, improbare tamen non audent, ſed viam ad eam ſternunt, & vbi poſſunt, ſecretius illam exercent, vt ſi non caſtè ſaltem cautè progrediantur. Lutherus certè quid hac de re ſentiat, ſatis declarat, cùm apertè dicit: *Vt quis plures ducat vxores, nec eſſe prohibitum, neq; præceptum.* Idem non tantum diuortia admittit inter coniuges, ſed etiam ſeparatis noua coniugia concedit: *Si non vult,* inquit, *vxor, veniat ancilla, & in locum Waſthi ſuccedat Heſter.* Atq; idem iiſdem verbis profitetur etiam Wittakerus Anglus non ignobilis porcus Caluiniſtarum gregis, qui quidem omnes quantum ſub huiuſmodi magiſtris ſuis in poligamia promouẽda, & libellis repudij conficiẽdis profecerint, etiã publicis ſuis legibus orbi teſtatum reliquerunt. Extat enim Geneuenſiũ lex vna inter alias, in publicas eorum tabulas relata, quæ decernit; vt, *Si vnum annum integrum vir ab vxore abſuerit, illaq́ rem ad Senatum detulerit; niſi ante quadrageſimum diem ille redierit, illa alteri viro nubere impunè poſſit.* Iidem Geneuenſes Anno Domini 1560. ediderunt in *In cap: 16. Gen: edit: Ienen.* *Dur: cõtra Vittaker.*

 hoc gene-

hoc genere, ad incrementum & conſeruationem pſeudo Eccleſiæ ſuæ, quatuor inſignes Canones, qui quod genuinum (vel belluinum potiùs) ipſorum ſpiritum egregiè redoleant, videntur mihi digniſſimi, vt hic propriis illorum verbis adſcribantur.

Regin. l. 2. Calu. c. 10.

I. *Si monachus contraxerit cum ſorore euangelica matrimonium, & illa poſtea relicto monacho, alium ſibi virum adſciuerit. Si frater omnia expertus, vt eam ad ſe reuocet, nec obtinere poteſt, & frater hic aliam quoque vxorem ducere poteſt.*

II. *Si quæ fœmina propter improbitatem vitæ, aut malâ affectionem, à viro ſuo diſceſſerit, maritus eã diligenter inquirat: deinde petat à miniſtro literas, quas vocant prouiſionis, & eã publicè proclamari faciat in Eccleſia tribus dominicis: ſi eã inuenire nõ poteſt, nec ea ſpacio ſex hebdomadarũ comparuerit, maritus poteſt aliam ſumere.*

III. *Si fœmina ſit iuuencula, & maritus diu abſuerit, longa aliqua infirmitate detentus, illa eum faciat proclamari: & ſi non compareat, mulier ſiſtat ſe miniſtro, qui illi facultatem ſeparationis dabit propter abſentiam viri; qui ſi poſt nouas nuptias vxoris aduenerit, is nihilominus hac vxore priuabitur.*

IIII. *Si quis longum ſuſceperit iter aut nauigationem, eius vxor vnum tantummodo annum contineat, Domino ſeſe commendans: ſi ille poſt annum elapſum non reuenerit, & illa iudicetur opus habere maritali cõiunctione, fiat ei poteſtas noui cõiugij.* Hactenus Canones Geneuenſes. An non tutiſſimam poligamiæ viam ſternunt? an non turpitudinibus & libidinibus omnibus frena laxant? ad facinora & flagitia inuitant? Horum verò autores non Ieſuitæ, ſed tui anonyme doctores, Coriphæi, duces ſunt. E quibus vnus vt doctrinæ huic vitam etiam & mores accommodaret, inuentus in Germania eſt (teſte Syluio Czechou. lib: de corrupt. moribus) qui vxorem ſuam interfecit, vt pluribus aliis mulieribus liberius vti poſſet. Rogatus, cur tantum admiſiſſet ſcelus? ingenuè reſpondit: coniugium ſimplex in Lutheranis ſacerdotibus non reſtinguere vagas libidines, plures vxores iuxta legem Dei eſſe tribuendas, ſi quis eos velit, vt miniſtros decet, caſtè & honeſtè viuere.

Et mirabitur quiſpiam, ſi tam numeroſa prole iſti abundent, tot Iohannellos, Martinellos (vel Maatinetos potius) tot Elſas, Kietas, Bertas procreent? Mihi certè id videri mirum non poteſt. Duo autem alia, vt ingenuè fatear, vehementer mirari ſoleo, nec ſatis capere poſſum. Primùm, quid in cauſa ſit, quod cùm tam fœcundum ſit Euangelium veſtrum, miniſtrorum tamen non eadem vbique copia ſuppetat. Certè Polonia noſtra à Germanis & Sileſitis emendicare miniſtros ſæpè

Miniſtri cur pauciores reperiãtur.

cogitur:

cogitur: Et nunc qui rerum euangelicarum apud eos potiuntur, Rakouiæ & alibi, extranei fermè cernuntur. An quia fortè miniſtri Poloniæ minus fœcundi ſunt, aut minus idonei ad erudiendam prolem, vt in miniſterio ſuccedere poſſit. Neutrum puto. Sed potius diuinæ id prouidentiæ tribuo, quæ vt aliis multis in rebus humano generi conſulere ſolet, ita hac etiam in parte eidem proſpicere voluit. Perniciosa enim omnia, vel minori numero produci permittit: vel multiplicata ne nimium obſint, è medio tollit. Eſt trita apud nonnullos ſcriptores quæſtio, quid cauſæ ſit, quòd cùm lupi vno partu communiter effundantur plures, oues verò nonniſi ſingulæ ſingulos ferè fœtus pariant, nilominus tamen longè maior extet ouium & agnorum quam luporum numerus. Qui id proponũt, inter alias cauſas aſſignant prouidentiam diuinam, ita ordinantem; vt oues quæ humano generi admodum vtiles ſunt, plures conſeruentur; lupi verò, qui nocere plurimum poſſunt, variis caſibus ſæpè intereant. Certis etiam temporibus, quando hyemis frigora acriùs ſæuire ſolent, in vnum conueniunt, & in coronam redacti, pleno in gyrum curſu ſeſe circumagunt; quotquot verò poſtea vertigine capitis deficientes concidunt, totidem ab aliis deuorantur, donec crudelis grex ille rabiem & famem ſuam exſatiet. Vide anonyme, ne quid fortè ſimile miniſtris quoque tuis accidat, neque enim caſu geri videtur, vt ex tanto luporum numero, qui in lucem multiplicatis partubus eduntur, tam pauci matureſcant. Alterum eſt quod mihi non minorem admirationem mouet, quòd miniſtri iſti veſtri in hoc tam præferuido propagandæ ſobolis zelo, non pari ſtudio etiam famæ & honori conſulant prolis & poſteritatis ſuæ, quam tam multiplicem producunt. Cùm enim viliſſimo eam vbique loco haberi intelligant, & oculis ſuis ſpectent, perinde ac ſi illegittima eſſet, non prouident tamen per magiſtratus & Principes, apud quos auctoritate multum poſſunt, vt publica aliqua lege, eodem quo cæterorum hominum legittima ſoboles honeſtatis nomine & priuilegio digna cenſeatur, aut declaretur. Imò quod tu ipſe mecum magis etiam ac magis mireris, extant in Repub. Anglicana antiquiſſimæ leges, atq; in hunc vſq; diem robur ſuum, & vigorem omnem obtinent, quibus definitur, ſacerdotum coniugia eſſe incœſtuoſa, vxores adulteras, filios ſpurios, nullius prorſus hæreditatis capaces. Cumq; moderni Angliæ Epiſcopi, multis apud Principem & Parlamentum ſupplicationibus Ælian.

 egerint,

egerint, multis precibus Conſiliarios Regni ſollicitauerint, vt eas leges abrogarent; nec quicquam efficere potuerunt, ſed hoc veluti freno & capiſtro hucuſq; ab illis in officio continentur, non ſine magna totius cleri Caluiniſtici in Anglia, infamiæ & turpitudinis nota. Sed hactenus de theſauris miniſtrorum, pergamus nũc ad alia quæ ſuperſunt.

Luporum hyema in lupos ſæuitia.

ARTICVLVS XLIV.

Malè concludere anonymum, contra eos qui Ieſuitas retinendos in Polonia cenſent.

OMnes refutationes ſuas, quas tanto labore & ſudore ſuo conatus eſt anonymus opponere rationibus illis, quæ pro retinendis in Polonia Ieſuitis afferri ſolent, tandem ſic concludit: *Ii qui Rempub. noſtram ſaluam eſſe cupiunt, omnem operam dare debent, vt Ieſuitæ extra regnum abigantur, & abacti obdito peſſulo reditu prohibeantur.* Ego verò ita potius contra anonymum concludo: vt cùm nihil præter mendacia mera, calumnias, & impoſturas contra Ieſuitas attulerit (prout à me euidenter oſtenſum eſt) omnes quotquot ciues boni & patriæ amantes haberi & eſſe volunt, tanto maiori ſtudio & ardore animi Ieſuitas retinere conentur, vt pote quorum inſtitutum patriæ & Reipub. noſtræ, his maximè calamitoſis temporibus, perutile & neceſſarium eſt. *Neque enim is ſolum Reipub. prodeſt, (vt ſcitè adnotat Seneca) qui candidatos extrahit & tuetur reos, & de pace bello cenſet; ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamq́; curſu ruentes prenſat ac retrahit, & ſi nihil aliud, certè moratur; & in priuato publicum negotium agit, qui docet quid ſit iuſtitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum (loquitur vt gentilis) intellectus, quantum bonum ſit bona conſcientia, &c. Et paucis interiectis, ſubdit: Neque enim ille ſolus militat qui in acie ſtat, & cornu dextrum leuumq́; defendit, ſed & qui portus tuetur, & ſtatione minus periculoſa non otioſa tamen fungitur, vigiliasq́; ſeruat & armamentario præeſt, quæ miniſteria quamuis incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum veniunt.* Hæc Seneca. Sed pergit anonymus: & poſtquam ſibi viſus eſt refutaſſe ſatis eorum rationes, qui Ieſuitas propugnãt, ne quidquam intactum relinquat, reiicit etiam eos, qui exiſtimant non vniuerſim è regno pellendos eſſe omnes, ſed vel eos tantum, qui depræhenſi fuerint rei & ſuſpecti de turbata pace Reipub. vel qui reſident in primariis

Lib: de trãquilita: c. 3. Quinam ſint Reipub. vtiles.

mariis

mariis Regni vrbibus;deniq; eorum quoque ſententiam improbat,qui non pellendos, ſed in ordinem duntaxat redigendos eſſe exiſtimant. Ego verò nullos hactenus huiuſmodi mediatores obſeruaui in Polonia; anonymus ſiue eos finxerit, ſiue repererit, ipſe cum eis videat & pugnet, qui etiam cum vmbris & Chimeris pugnare nouit. Ieſuitæ interim,neq; pelli niſi conuicti criminum quæ illis obiiciuntur,per iura diuina & humana omnia poterunt, neq; eo ipſo nomine rei habebuntur, quòd in primariis ciuitatibus commorentur, neq; redigi in ordinem neceſſe habebunt, antequam ab ordine excidiſſe conuincantur. Calumniæ etiam omnes,quibus anonymus vbique hanc pſeudologiam ſuam reſpergit & traducit Ieſuitas, per ſe concident, cùm nulla probatione nituntur. Gratis enim vbiq; ineptit & mentitur aduerſarius: *vt cùm aſſerit in gratiam Ieſuitarum fuiſſe celebratum Rokoſs, & celebrandum deinceps frequentius: cùm eandem omnibus & ſingulis Ieſuitis ineſſe culpam adſtruit: cùm ab iisdem S. R. M. ædes exuri fingit, cœmeteria inuadi, ſepultorum corpora refodi & violari, alpium iuga ſubinde decurri, vt exoticarum artium ſpiritum, ab externis hauſtum, Reipub. & patriæ noſtræ inſerant.* Hæc inquam & alia his ſimilia figmenta quæ affert, omnia cùm aperta mendacia ſint, nulla alia refutatione indigent,quàm vt apertè negentur, donec probata fuerint. Poſſum ego quoque viciſſim eadem illa omnia & ſingula, aut etiam plura & grauiora anonymo obiicere, parricidia, peculatus, adulteria. Et quo ille ſcuto ea à ſe excuſſerit, eodem ego itidem à me figmenta ipſius illa omnia depellam & eludam. Vnum hic tamen diſſimulare non poſſum,in quo refellendo anxiè admodum deſudat,quin illud in particulari attingam. Veritus enim ille ne fortè cuipiam probetur conſilium illud, redigendi potius in ordinem Ieſuitas, quàm prorſus è Regno pellendi, *(vt quod mitius & magis humanitate attemperatum eſſe videatur) nullam ſpem emendationis Ieſuitarum ſupereſſe probare conatur, idq; ea maximè ratione, quòd nullis legibus coerceri poſſint. Nam neque priuatus quiſpiam, leges illorum,iugulum petentes,executioni mandare audet: neq; confœderationis lex, publica auctoritate ſancita, illos in officio retinere poteſt, & quod magis eſt, ne propriis quidem ſuis legibus,negotia politica eis prohibentibus,coerceri ſe patiuntur.* Bona verba quæſo, anonyme morologe, meliora tibi de Ieſuitis polliceare. Legibus enim illi Regni noſtri ad quas acceſſerunt, parati ſunt viuere, & vixerunt hactenus, nec quiſquam illis contrarium, niſi per calumniam obiecit, cùm ſole clarius experientia quotidiana conſtet,eos

Mendacia anonymi.

 ſtet,eos

Digitized by Google

ſtet, eos exactiſſimè ius commune patriæ obſeruare: magiſtratus tam politicos quàm Eccleſiaſticos reuereri, illorum decretis parere. Confœderationis legem Corcinenſem, Anno 1438. omnium prorſus ordinum vnanimi conſenſu, abſq; contradictione & proteſtatione vlla probatam à maioribus noſtris, & ſancitam ſub honore, fide, & ſanguine, ipſi quoque probant, negantq; antiquari poſſe per vllam aliam recentiorem, niſi ſimilis planè & concors omnium ordinum aſſenſus accedat; quod hucuſq; factum non eſt. Sunt enim plurimi non tantum Eccleſiaſtici, ſed etiam ſeculares Equeſtris & Senatorij ordinis, qui poſteriori illi, Warſzauienſi videlicet, vehemẽter repugnãt, & quod ipſo ſtatim initio fecerunt, in hunc vſq; diem quoties occaſio & res poſtulat, ei ſe repugnare conſtanter proteſtantur obſtantq;, quominus iuris communis patriæ vim & auctoritatem obtineat: & quidem meritò, vt ſupra ſuo loco fuſius docui. At verò tu Ieſuitas etiam ſuiſmet propriis legibus minimè parere aſſeris, probaſq; ex eo quòd ſancitam legem Romæ in ſuo Generali conuentu anno 1603. qua iubentur à negotiis ſecularibus abſtinere, minimè obſeruent. Gratulor tibi notitiam aliquam in legibus Ieſuitarum, tenuem illam quidem, & quæ te balbutientem adhuc tyronem arguit, vt qui nec verba, nec loca, nec ſenſum rectè allegare noris. Vnum autem miror non ſatis à te conſideratum; obiicis adminiſtrationem rerum ſecularium Ieſuitis, & ſimul aſſeris eandem auctoritate Generalis conuentus ipſorum ſeueris legibus illis interdictam. Itané tibi illi rudes videntur, & minus circumſpecti, vt quod in theatro orbis vnanimi Prouinciarum ſuarum, & totius ordinis per delegatos conſenſu, ſibi minimè licita eſſe proteſtantur, & eadem placita ſua, ad omnia ordinis ſui domicilia tranſmittunt, ſeruarique rigidè mandant, repente quaſi obliti ſui ad eadem illa ſecularia negocia tractanda reuertuntur, vt ſe riſui, odiis & linguis omnium exponant, & ſecum pugnare oſtendant? Ineptis prorſus anonyme, & tu tecum ipſe pugnas, cùm Ieſuitis hæc tam ſecum pugnantia adſcribis.

Cõfœderationem Corcinenſem probant Ieſuitæ.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO QVINTA ANATOMIÆ.

In qua oſtenditur anonymum ineptire, cùm Ieſuitas non tantum pellendos, ſed etiam in perpetuum arcendos à Polonia docet.

ARTICVLVS XLV.

Exaggeratur dolor anonymi, quem ex reſtitutione Ieſuitarum in Gallias concepit.

SEd veniamus tandem aliquādo ad poſtremum totius tuæ morologiæ caput, in quo vehemēter laboras: *Vt oſtendas Ieſuitas non tantum pellendos eſſe ex Polonia, verum etiam contra reditum illorum omnia diligenter præcauenda, ne fortè poſt liminio redeant aliquando, ſicut rediere in Gallias, reclamantibus Parlamentis & obnitente prudentiſsimo quoque (Hugonoto ſcilcet) adeò fauſto ſucceſſu, vt etiam Pyramis illa, perpetrati ſceleris index fuerit demolita. nec obſtiterit e xcuſsi dentis in ore regio lacuna, quæ nunquam reſarciri poteſt.*

Proch, quantus te incedebat dolor, quantus ſtimulabat furor, & quā ſæuus, veluti alterum Saul, exagitabat ſpiritus Domini malus, cùm iſta ſcriberes? cùm reſtitutionem Ieſuitarum à Gallis factam (qua nullum tibi tuiſque vulnus grauius vnquam obtigit) ſtridenti calamo manuq; tremula litteris his conſignares? Atque eo vſque, cœco quodam impetu abreptus prorueres, vt non tantum à ratione omni excideres, ſed à puriore etiam latini ſermonis vſu declinares. Deploras enim magno confuſi doloris ſenſu, Pyramidem ſceleris Ieſuitici teſtem eſſe demolitam. Quàm multo rectiùs dixiſſes eandem cùm rueret, tuum ſodaliūq; tuorum omnium caput & cerebrum odio Ieſuitarum tinctum, fuiſſe demolitam. Sed pone aliquem furori tuo & dolori modum, & hoc ſaltem probatum cataplaſma adhibe, tibique perſuade nullum amplius ſupereſſe doloris, vel ſedandi vel leniendi remedium: Rumpuntur fruſtra ilia Codri. Galli enim ita reſtituerunt, ita firmiter ſtabilierunt per vniuerſum Regnum ſuum Ieſuitas, vt eos idcirco amouere ad tempus *Anonymus rudis latinus.*

voluiſſe

Digitized by Google

voluiſſe videantur, vt poſtea magis magiſque firmarent, & duplici in honore & pretio haberent. Reſtitutio ea facta eſt ſummo tribunalium & magiſtratuum omnium, atque adeò Galliæ totius conſenſu, accedente grauiſſimo ipſius Chriſtianiſſimi & Sapientiſſimi Regis, Henrici quarti iudicio. Qui quidem Princeps, ad cæteras laudes ſuas etiam illam adiecit, quæ ex clementia & ſapientia parari à Principibus ſolet; æternam illam, quam tu ſic appellas, Pyramidem publicæ iniuriæ innocentibus illatæ indicem, variis calumniis inuito atque inſcio magiſtratu contaminatam onuſtamq; publica auctoritate deiici mandauit, famam innocentum calumniis maleuolorum traductam & laceratam, in perpetuum vindicauit: req; ipſa oſtendit, quid de Ieſuitis ſenſerit. Tantum abeſt, vt eos ſuſpectos habuerit in caſu illo ſuo dentis excuſſi. Cuius quidem ſceleris auctor Schatellius, neq; Ieſuita vllus fuit, nec à Ieſuitis inſtructus, vt ipſemet publicè examinatus, publico teſtimonio quod in actis extat publicis teſtatum reliquit. Sed hæc leniendo dolori tuo ſtultiſſimo ſufficiant.

Reſtitutio Ieſuitarum in Gallias firma & ſtabilis.

ARTICVLVS XLVI.

Refutantur ſigillatim modi, & rationes omnes, quibus anonymus cõtendit Ieſuitis ſemel pulſis, aditum præcludi poſſe & debere.

AD extremum proponis modos varios & rationes, quibus Ieſuitis ſemel ex Polonia amotis, aditus in perpetuum præcludi poſſit. Et quidem tria ad id maximè opportuna media fore cenſes. *Primùm, vt bona illorum immobilia, in alios vſus ad publicam Regni vtilitatem conuertantur. Secundùm, vt per peculiare ſtatutum ſub pœna infamiæ, aut alia etiam grauiori interdicatur, ne quis de reuocandis vllo vnquam tempore publicè aut priuatim mentionem inferre auſit: neué deinceps vlla iuuentus, Polona nobilis præſertim, extra regnum ad Ieſuitas ſe conferat, iiſq; ſe regendam committat. Tertiò, diligenter prouidendum, ne per officinas typographicas talia in publicum ſpargantur, quæ præſenti Reipub. ſtatui & Regni huius libertati quocunq; modo aduerſantur.*

Hæc tu, velut alter Lycurgus ſupercilio elato, ſtatuta & leges condis, innoxiorum ſanguine ſcribis, ſed reperturus Solones plures qui eas reſcindant. Hæc inquam, ſtultiſſimus conſiliarius, conſilia inſipientiſſima, Proceribus & Equeſtri Poloniæ ordini inclyto propinas; ſed propinas ebrius ſobriis, & ſtultus prudentibus, & qui ex vnguibus leonem

Digitized by Google

leonem te facilè depræhendant. Videamus & diſcutiamus inſipientiam ſingulorum. Ais inprimis, bona Ieſuitarum immobilia in vſum publicum Regni conuertenda eſſe. Immobilia inquam. Quid verò de mobilibus ſtatuendum cenſes? Donanda illa forte Ieſuitis pro viatico iudicabis? Non credo: cùm theſauros ingentes ea complecti ſupra demonſtrare conatus ſis. Fiſconé applicabis aut ſub haſta locabis? Neq; id te facturum puto, eò quòd tibi ipſi deſtinanda, iam fortè ſpe deuoraueris. At ſi ita eſt, vide ne tibi contingat, quod contigiſſe memoratur Suetoſlao Ruſſiæ Duci, qui cùm aliena rapuiſſet, & ſpoliis ampliſſimis, infamis victor rediret, incidit in Curem Principem, qui eum vita & ſpoliis omnibus exuit; inſuper craneum ipſius in Scyphi formam redactum hac inſcriptione exornauit: Quærendo aliena, ſua amiſit. Id quod nonnulis etiam aliis accidiſſe, hiſtorici varij teſtantur. *Stri: lib: 4. Chrō: Lith.* Sed de immobilibus bonis Ieſuitarum audiamus, quid tandem faciendum cenſeas. Affirmas inprimis ea in publicam vtilitatem conuertenda eſſe, præcipuè verò ad commodum Polonæ nobilitatis, cui maiori ex parte detracta à te creduntur. Magnus te ſcilicet Reipub. & nobilitatis locupletandæ zelus tenet. At non conſideras homo ineptiſſimè, neq; Rempub. neq; nobilitatem noſtram decere, vt bonis religioſorum ditari conſentiat. Ea enim quæ Deo ſemel dicata, & in ſortem illius adſcripta ſunt, nequeunt citra ſacrilegium, aut citra dignam compenſationem in (caſu publicæ alicuius neceſſitatis) ad vſus politicos conuerti: et ſi conuertantur, præſertim contra ius & fas poſſeſſoribus legittimis ablata, varia ſecum diuinæ iuſtitiæ iudicia & flagella trahere ſolent, vt omnium penè nationum exemplis, comprobari ex hiſtoriis poteſt. Quod autem aſſeris eam commodiſſimam rationem applicationis huiuſmodi bonorum fore, ſi ex illis Academiæ Cracouienſi de viris bonis & doctis, extra ordinē proſpiciatur: Inprimis meminiſſe debes, niſi aut cæcus ſis, aut ingratus, aut calumniator, Academiā Cracouienſem viris bonis & doctis ſufficienter prouiſam eſſe, vt pro dignitate ſtatum ſuum conſeruare & tueri poſſit. Deinde Academici ipſi Cracouienſes, viri ſunt non modo eruditione ſed pietate etiam Chriſtiana conſpicui, qui ſua propria Eccleſiis & religioſorum ordinibus variis donare conſueuerunt: tantùm abeſt vt illorum ſpoliis augeri cupiant. *Academicorum Cracouienſium laus.* Deteſtantur illi impium Achab, & ex vinea Naboth ditari perhorreſcunt, atq; ſua ſorte contenti, opulentos ſatis ſeſe arbitrantur. Memini

Digitized by Google

ego ſub Stephano piæ memoriæ Rege (cùm verſarer in aula & ærarij Regij ſcribendis expeditionibus occuparer) in Comitiis Warſzauienſibus conſultatum fuiſſe, quanam tandem ratione Academiæ Cracouienſi proſpiciendum eſſet, nobilitate præſertim perurgente. Hæretici ex opulentiſſimis ſacerdotiis aliquam partem pro Academia detrahendam, reliquam in fiſcum Reipub. inferendam contendebant. Cæteri quibus mitiora ingenia contigere, Abbatiam aliquam aſſignandam, & Academiæ inſerendam ſuadebant, non vnam ex locupletioribus, ſed tenuiorem aliquam quæ à Cracouia non multum abeſſet. Siricium aliis placebat, aliis verò Chebdouum: & concluſum omninò certi aliquid fuiſſet, niſi ipſi Academici obſtitiſſent, teſtati ſe nolle ex aliorum incommodis emolumenta quærere ſua: fruerentur religioſi ſuis bonis, ſe fundationes maiorum, quamdiu illi pro quibus fundatio facta eſt ſuperfuerint, vt irritentur, non optare. Et ſi aliunde Academiæ, quæ ſatis tenues habet reditus, non fuerit prouiſum, quiduis potius velle pati, quàm ſua commoda, iactura & incommodis aliorum augere. Hanc in recuſando modeſtiam Academicorum, cùm omnes qui aderant, non ſine admiratione excepiſſent, conſilia ſua, hac de re tota, aliis temporibus & occaſionibus reſeruarunt. Adeat ergo nunc Academiã anonymus iſte ignobilis & conſultor peſſimus, audeat impium hoc conſilium obtrudere ſuum, ſollicitet ex Academicis quempiam, exploret animum. Certè ſi vel in vnum inter cæteros inciderit Petrum [illegible]orcinium, virum grauiſſimum, Iuris vtriuſque Conſultum peritiſſimum, Eccleſiæ Cracouienſis Cathedralis Canonicum, Academiæ quartumdecimũ Rectorem, mihi verò antiqua neceſſitudine & plurimis in me beneficiis collatis coniunctiſſimum, non aliud ab eo reſponſum referet, quàm quòd pia & circumſpecta Academicorum pectora, potius ſua elargiri malint, quàm aliena quæcunque occupare, nedum religioſorum augeri & ditari bonis. Quando illud etiam ſubſidium, quod in Synodis aliquot Prouincialibus, communi Cleri conſenſu, pro Academiæ profeſſoribus fuit decretum, ægrè pro ſua modeſtia vt exigerent adduci poſſent, niſi eos Præſulum quorundam alacritas & liberalitas inuitaret.

Porrò cùm ex iiſdem bonis Ieſuitarum præter ſupradicta, alias quoque Aacademias & ſcholas, pro ſcholaſticis pauperibus in ſingulis prouinciis fundari & exædificari poſſe putas anonyme, vaniſſimum te hominem

minem prodis, vt qui neſciat quid dicat aut ſcribat; & cui illud propheticum optimè conueniat: Paſcit ventum & ſequitur æſtum, tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat. Quæ enim & quanta extant bona Ieſuitarum in Polonia, vt tot Academiis & ſcholis in ſingulis prouinciis quæ in Regno ampliſſimo numerantur plurimæ, tum perficiendis, tum excitandis à fundamento, & pro tot ſcholaſticis pauperibus ſuſtentandis ſufficiant, quibus ægrè ſufficerent, aut ne ſufficerent quidem ipſi reditus regij, ſi in hoc tam multiplex opus profunderentur. Tu verò, *pro tua cœca quadam inſipientia, neq; illis quidẽ omnibus contentus, ſuperfuturum adhuc putas ex iiſdem bonis, vnde Noſocomia inſtituantur in eorum vſum qui in bellis pro Reipub. ſtrenuè ſe geſſerunt, & vel vulneribus debilitati ſunt, vel per ætatem militiæ labores non amplius perferre poſſunt. Cuius te inſtituti exempla in vrbibus Bellicis vidiſſe aſſeris: in Polonia etiam in eundem finem à Stephano Rege, Noſodochium militare Warſauiæ erectum, ſed à poſteris neglectum commemoras, non quòd militum prouiſio tibi curæ ſit, ſed quòd tibi forſitan hac in parte conſultum cupias, ſi aliquando fortunæ aleam eandem ſubires.* At ego nihil huiuſmodi metuendum tibi cenſeo, tibi inquam qui nullũ pro patria periculum adire, nullum excipere vulnus vnquam viſus es, paratꝰ in prælio (ſi te fortè caſus aliquis adire illud aliquando impulerit) ſalutem pedibus quærere, exemplo illius qui gloriabundus de ſe dicebat: Cùm illi maximè pugnabant, tunc ego maximè fugiebam. Nihil ergo tibi lepori galeato à bello imminet periculi, vt timere poſſis, ne exhauſtis militia viribus, & neceſſariis vitæ ſubſidiis deſtitutus aliquando egeas. Aliunde magis inopiam tuam timeas, neceſſe eſt, ne tua abliguriens bona (ſi tamen aliqua poſſides, & non Odardus vel Golota es, vt noſtrates ſuum idiotiſmum ſecuti loquuntur) & ad voluntariam paupertatem deuolutus, ſubſidiis vitæ careas. Is verò caſus ſi tibi acciderit, non deerit in noſocomio aliquo ſordido, te tanto ciue patriæ digniſſimus qui te excipiat angulus, non deerit vbi tot vulnera animi tui, quæ tibi perpetuò cum veritate pugnanti, nec pauca, nec leuia obtigêre, ſi pœnitentiam agere volueris, abſtergere & curare poſſis, etiamſi nullũ pro militibus noſodochium erectum denuò accedat, quale ego quoque in patria noſtra, bene prouiſum & ordinatum videre cupio quidem; tuum autem conſilium nulla ratione probare poſſum, quod huiuſmodi domicilia & perfugia militaria, nonniſi ex rapinis bonorum religioſorum erecta cupias. Erigi enim illa ſolent & debent, vel ex

Oſe: 12.

Digitized by Google

bonis Reipub. cuius conſeruandæ cauſa milites belli incommoda ſubeunt, vel certè ex liberalitate Principum & magiſtratuum, qui ordinibus militaribus præeſſe, & peculiari quadam ratione patrocinari tenentur. Certè Stephanus Rex noſter, cuius tu ipſe meminiſti, cum Warſzauienſe illud Noſocomium inſtitueret, nullum monaſterium bonis ſpoliauit, nulli Eccleſiæ quidquid detraxit, ſed ex bonis ſuis & Reipub. illi prouidit, vt citrà illius iniuriam de Deo & de Repub. mereretur, nomenq; ſibi animi heroici & liberalis compararet æternum. Hæc ad primum tuum remedium, quo Ieſuitis ſemel pulſis, aditum præcludendum iudicaſti.

Alterum erat vt facta ad eum, de quo ſupra, modum bonorum Ieſuiticorum diſpoſitione aut diſtributione, *per peculiare ſtatum Regni vetaretur ſub infamiæ pœna aut aliqua alia ſeueriore, ne quis primum de reuocandis aut admittendis Ieſuitis vllo tempore publicè aut priuatim mentionem facere auſit, quemadmodum Venetos feciſſe conſtat: neuè deinceps vlla ex Regno Poloniæ iuuentus, nobilis præſertim, extra Regnum ad eos ſe conferat.* Pergis egregiè, ſcilicet mereri de patria & Republica noſtra, & quam inquinare turpiſſimo conſilio tuo cæpiſti, eandem veneno etiam odij tui in Ieſuitas inficere conaris, quo illa nimirum hauſto, à ſpe incolumitatis ſuæ, tot aliis perturbationibus quaſſatæ, celeriùs & faciliùs excidat. Sed Æthiopem lauas. Ecce enim iam à biennio circiter rabioſi huius conſilij tui venena per vniuerſum hoc regnum ſparguntur, & tamen neq; patriæ (nimirum per antidota ſufficienter prouiſæ) neq; Ieſuitis (innocentia præmunitis) nocuerunt hactenus. Nemini ex omnibus Regni ordinibus in tot generalibus & particularibus conuentibus rabiem tuam inſtillare potuerũt, vt de publico huiuſmodi contrà Ieſuitas edicto proponendo aut promulgando, vel minimam cogitationem ſuſciperet. Porrò exemplo Venetorum, ſi aliquid deinceps accideret, accideret vtique nõ exemplo tantum, ſed fructu etiam & exitu eodem, vt quemadmodum factum Venetorum totus reliquus orbis Chriſtianus Ieſuitas complectens factis improbat, ita noſtrum pariter conſilium improbaret. At facilius crede mihi, patria noſtra, quæ à diuina prouidentia inprimis, deinde à prudentum virorum vtriuſq; ordinis conſilio regitur, nouam aliquam infamiæ legem contra illos edet, qui innocentes calumniantur. Id enim iuſtitia omnis, id ratio ipſa, id deniq; diuinarũ & humanarum legum omnium æquitas expoſcit. Idcircò facilius te

Anonymus nihil Ieſuitis obfuit.

cum tuis

Digitized by Google

cum tuis miniſtris & ſuperſuſpendentibus Vęuangelicis ſolum vertentem, quàm pulſos Regno noſtro Ieſuitas, aut lege aliqua, ab omnibus illorum ſcholis nobilitatis Polonæ iuuentutem excluſam videbimus.

Tertium *ac poſtremum medium, arcendi in perpetuum à Regno noſtro Ieſuitas illud ſuggeris, vt prouideatur diligenter, ne per officinas typographicas talia in publicum ſpargantur, quæ præſenti Reipub ſtatui & Regni huius libertati aduerſantur.* Tecum hic ſentio prorſus anonyme, prouidendumq; ſuadeo; ne ex typographorum officinis prodeant ea quæ Reipub. ſtatui & Regni libertati præiudicant. Sed id vbi à Repub noſtra cautum fuerit, nemo pauciora ſcribet edetq; in lucem, quàm vel pſeudoeuangelici vel pſeudopolitici tui, vt quorum maximè ſcripta cum libertate & ſalute Reipub. pugnare ſolent, & magna ex parte libellis famoſis, omnium penè gentium legum auctoritate proſcriptis conſtant. Ieſuitarum verò illa ſcripta, quæ tu non ſine magno doloris ſenſu commemoras, eruditione & pietate redundant, & à bonis omnibus probantur. Tu ſi quid in illis obſeruas, veræ ſynceræq; religioni aut Reipub. libertati atq; incolumitati contrarium, non verbis tantum nudis, vt garrulus Sophiſta, at ſolidis rationibus, vt verum decet Philoſophum, demonſtra & conuince, ſi ciuis bonus, ſi patriæ defenſor, ſi fortis ac magnanimus athleta haberi deſideras; ſed qui hucuſque tam generoſi animi nullum veſtigium reliquiſti, diffido penitus fore, vt in poſterum etiam relinquas, tuis mentiendi & calumniandi innocentes artibus contentus. Ad extremum nec illud diſſimulare poſſum, quod ſub finem huius morologiæ tuæ vafriciem quandam & dolum Ieſuitis impingis, quòd ſcripta ſua edant, ſub alienis nominibus à Clero præſertim emendicatis, vt hac ratione Clerum ipſum in eandem inuidiæ ſortem ſecum pertrahant. Quaſi verò in Clero Catholico nullus reperiatur, qui ora veſtra impura innocentibus oblatrantia obturare poſſit, niſi ſuppoſititiis manibus Ieſuitarum adiuuetur. Non deſunt, inſipientiſſime mortalium, viri tum in patria noſtra, tum apud exteras nationes, doctrina & ſapientia per ſe clariſſimi, qui, quid de Ieſuitis ſentiant, ſcriptis ſuis propriis quæ manibus omnium teruntur, teſtatum faciunt. Tales nouimus Sziſzkouios, Reſcios, Baronios, Stapletonos, Andradios, Payuas, Surios, Lemnios, & alios plurimos, qui eas Ieſuitarum laudes ſtylo proſecuti ſunt, quæ à Ieſuitis abſq; verecundia aliqua legi, ab aliis qui eos rectè norunt, ſalua veritate negari non poſſunt. De me quid tu homuncio imperitus ſenſu-

Digitized by Google

tus ſenſurus ſis, non magnopere laboro: quantulumcunq; ſcio, ingenuè fateor, fateborq; ſemper, me illud ſecundum Deum Academiæ inprimis Cracouienſi, tum patribus Societatis IESV, quibus præceptoribus Vilnæ primùm, deinde Romæ in Philoſophicis & Theologicis ſtudiis vſus ſum, debere: nec adeò rudis & imperitus ſum, vt ſi quid ſcribendum ſit, emendicato ſtylo egeam. experire ſi placet, aude iterum attolle[illegible]preſſum caput, & denuò contrà Ieſuitas conſilia expedito tua, ſe[illegible] nec mihi vires defuturas: & ſi fortè illæ, vt potè ſenio & laboribus attritæ deficerent, non deerunt agmina integra, doctiſſimorum aliorum virorum, ætate, ingenio, eruditione præſtantium, qui in iſtud tuum Væuangeliſmo & politiciſmo infectum caput, pluſquam anatomicis ſtylis ita deſæuiant, vt ne pilus quidem tibi, quo fœtidum contegas cerebrum, integer ſupereſſe poſſit.

ARTICVLVS XLVII.

Concluſio Anatomiæ huius totius, vale anonymo denuntians.

Atque hæc habui quæ opponerem Pſeudologiæ tuæ, quam conſilij nomine edere in lucem auſus es, vt Ieſuitarum de vniuerſa Repub. Chriſtiana optimè meritorũ famam traduceres. Tardiꝰ fateor, quã tua poſtulabat impudentia, ad reſpondendum excitatus ſum, ſed ſpero me tarditatem meã, rationũ momentis compenſaſſe. Tu ſi plura & efficaciora pro tua conſolatione deſideras, fac vt intelligam; meam certè operam hac in parte, nunquam non paratam reperies. Interea ſaniorem tibi mentem à Deo præpotente precor, & ſaniora deinceps conſilia. Nam ea quæ hactenus à te in perniciem Ieſuitarum excogitata ſunt, idem manet exitus, qui olim conſilia Achitophelis, vel ipſum potius Achitophelem eorum auctorẽ, conſecutus eſt. vt qui imitatus es impij conſiliarij ingenium, parem cum illo etiam finẽ ſortiaris. Et certè qui te in Ieſuitas debacchantem graphicè depingere volet, exhibebit ſpectandum, in Orcum rectà tendentem triumphali malitiæ curru, quem ſcitè quidam aſſerit inniti rotis quatuor, ſæuitia, impatientia, audacia, impudentia; trahi à duobus pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratiſſimis, terrena potentia & ſeculari pompa, regi denique ab

aurigis

aurigis duobus tumore & liuore. Sed valere te iam iubeo, ſi valere te expedit, ſaniorem mentem iterum atque iterum tibi precor, ne fortè in reprobum datus ſenſum, & à Deo penitus derelictus, aliquando dignas impietate tua pœnas luas, & ſerò doleas, quod emendare nunquam poſſis.

Laus Deo Optimo Maximo, & Beatæ Mariæ Virgini.

APPEN-

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGE.

In præfatione dedicatoria promeruenda *Lege* promerenda.
Pagina 5. archiatrium *Lege* archiatrum.
Pag: 6. maculam *Lege* matulam.
Pag: 14. depoſcerent *Lege* depoſceret.
Pag: 16. illis iis *Lege* illis.
Pag: 19. ſeu *Lege* ſcilicet.
Pag: 22. Et *omitte*.
Pag: 23. Conſtantinus *Lege* Conſtantius.
Ibidem. Librorum caſu inuentorum. *Lege* Libros caſu inuentos.
Pag: 29. Muretes *Lege* Amurates.
Pag: 31. Complectuntur *Lege* complectantur.
Pag: 33. deſtinatis *Lege* deſtinata.
Pag: 36. adhuc *omitte*.
Pag: 45. maius *Lege* mauis.
Ibidem. vendicaui *Lege* vendica.
Pag: 47. noi erit *Lege* non erit.
Pag: 49. præiudicium velit, *Lege* præiudicium admittere velit.
Ibidem. bonoru *Lege* bonorum.
Pag: 51. quid *Lege* quam.
Pag: 57. inſulis *Lege* infulis.
Pag: 67. docere Ieſuitas *Lege* docent Ieſuitæ.
Ibidem. offerrent *Lege* offerent.
Pag: 76. Perſiam *Lege* Perſia.
Pag: 89. quod *Lege* quo.
Pag: 94. ſua *Lege* habent.
Pag: 96. appellati *Lege* appellat.
Pag: 98. mala *Lege* malam.
Ibidem. ea *Lege* eam.
Ibidem. Mattinetos *Lege* Martinetos.
Pag: 101. nituntur *Lege* nitantur.
Pag: 107. Bellicis *Lege* Belgicis.
Pag: 108. quidquid *Lege* quidquam.

Digitized by Google

APPENDIX.
AD LECTOREM.

OBſeruaſti nihil dubito, Lector, in libelli huius decurſu, anonymum conſultorem à nobis profligatum, nihil frequentius agere, nihil oppugnare pertinacius, quàm libertatem Eccleſiaſticam. Hanc perpetuo carpit, traducit, arrodit. Æquum erat reſpondere illi ſemper copioſius, ſed quia ſeries articulorum certa breuitate digeſta, longiores digreſſiones non patiebatur, operæ pretium viſum eſt, illas ad certa quædam capita redactas, appendicis nomine hîc ſub finem adiicere, vt & diſpoſitio, quam nobis initio propoſueramus, integra conſtaret, & lucifuga ille, rationibus & exemplis confuſus, hanc à nobis gratiam referret, & ſuæ loquacitatis & impudentiæ veluti pœnas daret. Tu iſthac quoque, vt cætera omnia, lege, expende, boni conſule.

CAPVT I.

Politicum ſtatum ab Eccleſiaſtico, ex Summi Pontificis præſcripto dependere oportere.

VT caput & fundamentum rei à ſe propoſitæ anonymus ſtabilire poſſit, Deus bone, in quas ſe partes, & per quàm multas ambages & diuerticulorum inuolucra verſat, & torquet. Ad tres tamen, vt aliquid dicere videatur, cauſas reuocat, cur exiſtimet, non procul hoc Regnum, vt cætera alia, ab exitio abeſſe. Et quidem de primis duabus nulla inter nos eſt controuerſia, cùm eaſdem fateamur & nos non inuiti. Nempe non ſolùm publica, ſed & ſingulorum priuata peccata, perniciem Regnorum & Rerumpublicarum ſecum trahere ſolere: ex quibus ad diſſidentes de Deo & religione opiniones, vicino peruenitur gradu; vnde tamen ineptè & falſò colligit accelerari interitum, non hæreſum exortarum confuſione & atheiſmo, ſed Pontificis reformatione, quam fraudis ſuſpicionem non poſſe effugere, dicere hic frau-

 dum omni-

dum omnium architectus non veretur. Poſtea ad tertiam cauſam tranſit, quam caput totius diſſidij & periculi vult eſſe; videlicet quòd Clerus ita ſuam cauſam tueatur, vt ſtatum Secularem, ſiue Politicum, ſibi ſubiiciat, & tantum præcaueat ſuæ iuriſdictioni, ne vel minima ex parte violetur. In primis duabus cauſis explicandis non multum immoratur: vaferrimus enim homo cùm animaduerteret in ſe, & ſui ſimiles, retorqueri eaſdem poſſe, vix extremis digitis eas attingere voluit. Tertiam verò ita aggreditur, vt fucum & artem facilè deprehendas, cùm non tam in ipſa reformatione, quàm in modo & executione vitium ſtatuat; ſcopum verò propoſitum habeat, Pontificis totam autoritatem & iuriſdicundi poteſtatem ſubruere, & ſtatui Politico non ſolum exæquare, ſed prorſus ſubſternere. At nos his artibus & pernitioſis ac ſeditioſis conſiliis, ipſius beatiſſimi Martyris & Epiſcopi Cypriani opponimus ſententiam & conſilium, qui audet affirmare non aliunde ſchiſmatum & hæreſum immanitates ortas eſſe, niſi ex Summi Pontificis contemptu, cùm ei nec obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex, vice Chriſti cogitatur; cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum Sacerdotum collegium quidquam moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Epiſcoporum conſenſum, iudicem ſe, non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret. Hæc Cypr. Cum quo idem ſentiunt antiquiſſimi quiq; Doctores, quorum auctoritati niſi impudenter velit obſtrepere anonymus, fateatur neceſſe eſt, ſummum Sacerdotem & vicarium Chriſti, omnium controuerſiarum in cauſa religionis & morum, iudicem eſſe, & non ſolum in Spiritualem, verùm & in Politicum ordinem, ſi ad Eccleſiam Chriſti pertinere cupiat, poteſtatem decernendi habere. Impiè igitur carpit decreta Pontificis, & modum illum inſtitutæ reformationis à Concilio Tridentino promulgatũ; quaſi verò melius ipſe videat vnus, ex obſcuro angulo proſpectans, quàm tot ex orbe terrarum collecti Patres, & ipſe Summus Sacerdos & Pontifex, qui tot ſanctiſſimorum & doctiſſimorum virorũ decreta reformatoria & approbauit, & ab omnibus obſeruari iuſſit.

D. Cypr: de Pontificis ſummi auctoritate ſententia. Lib: 1. Epi: 8.

CAPVT II.

Qualis ſit poteſtas Summi Pontificis in Reges & Principes.

Hæc verò

HÆc verò eadem prorſus eſt, quæ in quoſuis alios, etiamſi è plebe infima cenſeantur; non illa quidem, quæ temporalis, directa & abſoluta vocatur, ſed quæ ſpirituali ita ſubſeruit: vt ſi ab ea auellatur, eam corruere neceſſe ſit, & non ſecus quàm ſi animam à corpore ſeparaueris, eam illicò extingui oporteat: vel vt clarius dicam, talis ipſius poteſtas eſt, qualis paſtoris in gregem vniuerſum, vel Ducis in exercitum, Regia vel Reipub ſtipendia merentis. Sed nec diſſimili poteſtate vtitur à gubernatore nauis, quam habet in remiges & vectores, & in eos qui continentur in naui. Hic eſt verè diſpenſator domus, qui vniuerſæ familiæ præeſt. Hic verè medicus, qui ægrotos vult ſibi dicto eſſe obedientes, ſi curari velint. Itaq; Principes & quilibet alij Politici, ſi Chriſtiani eſſe & dici cupiunt, & ad ouile Chriſti pertinere, qua ratione ſe à reliquis ouibus ſubtracturi ſint, non video: cùm tantum vnum ouile Chriſti agnoſcamus omnes; nec aliud pro Imperatoribus, Regibus, Principibus, Politicis, à Chriſto relictum eſſe, aliud pro infima plebe erectum. Si quilibet priuatus debet paſtoris ſui vocem agnoſcere, eidemq; auſcultando obedire, ne erret, vel ne per præcipitia vagetur; tantò magis illi qui maioribus expoſiti ſunt periculis, quorum reliquus grex, tanquam in eminentiori loco poſitorum, & actiones libentius intuetur & exemplis mouetur, debent Summi Paſtoris, ducis, gubernatoris, medici, patris familiàs præceptis obſequi, & illius poteſtatem ſibi à ſummo imperatore Chriſto commiſſam revereri, & agnoſcere Eccleſiam, ſiquidem eſt tanquam caſtrorum acies ordinata. At quomodo ordinata erit, ſi tantum gregarius miles ad obediendum Duci exercitus aſtringatur, Centuriones verò vel Decuriones aut Tribuni, exiſtiment ſe ſui Ducis imperio non ſubiacere, & adhortationes tantum, non verò ſeria imperia admittere debere? Medicus tantò magis curare debet ægrotum quem ſcit ſæpe morbi occaſionem ſibi præbere ſolere, & cùm morbus inualuerit, difficilius curari poſſe: vbi verò frequentiores morbi & periculoſiores, quàm inter Principes & præeminentes viros graſſantur, quorum ad peccandum licentia propenſior eſt, ob affluentiam rerum maioribus occaſionibus peccandi obnoxiam, quorum aures tot ſuſurronibus, tot adulatoribus circumſeptæ, vt difficilè ſit eos non labi ſæpius, & in errores varios non incidere. Horum igitur curam maximè ad Summum Pontificem pertinere, quis non vi-

Principes maximè dirigi à Summo Pontifice conuenit.

non videt? vel à quo aptius coërcebuntur, vel ad officium reducentur, cùm rariores inueniantur, qui liberius vt par eſt, principem arguere vel reprehendere auſint? Non multos Ambroſios, Thomas, Staniſlaos, vel Gedeones reperias. Subtrahe Summo Pontifici poteſtatem & auctoritatem in Reges & Principes, omnia politiciſmis miſcebuntur, nec quiſquam erit qui peccata corrigat, qui Eccleſiam tueatur, qui reprimat inſolentes. An non experientia ipſa docuit, multos Principes extitiſſe, qui cùm non potuiſſent ab Epiſcopis ſanari, à Summis Pontificibus facili negotio in viam ſalutis ſunt reducti. Et ratio ipſa dictat, vt cùm apud inſolentiores Proceres, qui exiſtimant ſe legibus ſuperiores eſſe, nullus admonitionibus & obiurgationibus locus relinquitur, neceſſario ad eum, quem ſumma poteſtate præditum Deus eſſe voluit, recurrendum eſſe. Quæ verò poteſtas cum poteſtate & auctoritate Summi Pontificis conferri & comparari poteſt? Eam luculentiſſimè agnouit Conſtantinus magnus Imperator, & eo nomine verè magnus: Magni & filij eius, Conſtantio vno excepto, qui ab eius magnitudine, ob neglectam Pontificis in decernendis fidei & morum controuerſiis autoritatem, magno ſuo malo deſciuerat. Idem in multis poſtea aliis Imperatoribus fuit perpetuo obſeruatum. Qui enim aduerſus eandem Pontificis autoritatem ſeſe oppoſuerunt, in multas turbas & calamitates Eccleſiam & ſeipſos coniecerunt. E contra, pij & probi Imperatores, qui ſedis Pontificiæ obſeruantes fuêre, non ſolùm tranquillitate Eccleſiæ & Reipublicæ inſignes & conſpicui erant, verùm & exitus fælices habuêre.

Cōſtātinus magnus & filij eius quid de ſūmi ſacerdotis auctoritate ſenſerint.

CAPVT III.

Statum Eccleſiaſticum longè eſſe ſublimiorem Politico.

CVm Politici, præſertim illi qui hæreſi infecti ſunt, nullum agnoſcăt caput in Eccleſia viſibile, quod ſit ſubordinatum ſummo capiti Chriſto, & tantùm ſuum Politicum admittant; æquum eſt, vt in anatomia capitis illorum detegenda aliquantulum immoremur. Qui enim videre vult, ſit ne piſcis corruptus, caput inprimis conſiderat; hoc enim eſt quod primum omnium corrumpi ſolet: videamus ergo quale Politicum hoc caput ſit, quod ſibi maiorem prudentiam quàm Eccleſiaſticum arrogat. Atq; inprimis Politicum corpus, etiam muliebre caput admit-

put admittit, vt vel hinc appareat, nihil ſtultius & impudentius cogitari poſſe, quàm mandatorum diuinorum tam diu rationem haberi oportere, quàm diu Politico non repugnauerint ſtatui. Sapienter quidam ex recentioribus Doctoribus Catholicis, prudentiam Chriſtianam deſcribens: Vera, inquit, & Chriſtiana prudentia, nunquam à diuinorum mandatorum præſcriptione diſcedit, ac puram ſe atq; integram ab omni fraude, mendacio, fallaciaque cuſtodit. Non qualem Politici, vulgo dicti, mundi, prudentiam ſeu potius laruam prudentiæ ac fucatum virtutis ſimulachrum ſibi confinxerunt. Illi enim dum ſolido veritatis ac iuſtitiæ fundamento relicto, conſilia ſua ad res fluxas, quoquo modo tuendas ac parandas, ſimulato hoc prudentiæ ſceptro dirigunt, non ſolùm ſe à veræ ſapientiæ ſchola eximunt, ſed etiam cæleſtibus & nunquam interituris præmiis, indignos reddunt. Hæc ille. Igitur quæro à te Politice anonyme, quodnam fundamentum iſtius ſtatus veſtri ponitis, vel qua prudentia eundem conſeruaturi eſtis aut etiam promoturi? Negabitiſne ex duobus illis motibus, quaſi naturalibus, vtili honeſtum præualere, & à religione dependere oportere? Audite ſaltem Ariſtotelem Ethnicum Philoſophum. Fatemur quidem, inquit, in rebus Politicis ſtatuendis, multum poſſe, tam publicam, quàm priuatam vtilitatem: videndum tamen eſt, ne vtilitas vincat veram honeſtatem. Ergo ſi poteſtas Politica à vera honeſtate, hoc eſt à virtutibus pendet, virtutes verò à religione, vtiq; ius potiſſimum non ad ſeculares, ſed ad ſpirituales, qui religionis negotium tractant, ſpectare debebit. Et vaſtitates & ruinæ principatuum, nonné ex defectu virtutum naſcuntur, nonné virtutum defectus ex defectu religionis? Et tandem nonné à ſapientia & amicitia Dei vniuerſa dependent? Itaq; ſi Politici, quicunq; illi fuerint, à religione tanquam ab actu primario virtutũ non dependeant, quomodo ſtabilitatem & perpetuitatẽ obtinebunt? Inſulſè prorſus deblateras anonyme, hos duos ſtatus inuerſo ordine locari, cùm Eccleſiaſticum agentis, Politicum patientis, partes obtinere debere ab Eccleſiaſticis ſtatuitur; initia enim & progreſſus rerum, à Deo & religione ſumenda ſunt, & eò vnde profluxerunt, vt conſeruentur, referendi. Non igitur quidquam patitur Politicus ſtatus, dum ſubiicitur Eccleſiaſtico, ſed potius ſub eo augetur & conſeruatur. Inuerſus & monſtro cuidam ſimilis ordo ille eſt, quo caput pedibus, religio politicæ ſubſternitur: Execrabilis tyrannis

Hector Pintus in Ezechiel.

Politicorũ prudentia falſa.

Lib: 3. Politic.

Ruina Regnorum & Principatuum vnde proueniũt.

eſt, Deo & cælitibus leges dare; fidem verò, religionem, pietatem, non niſi reſpectu ad ſtatum politicum admittere. Hoc nimirum eſt, quod diſertiſſimis verbis deplorans Iſaias propheta ait: Infecta eſt terra ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum.

Cap: 24.

CAPVT IIII.

Statum Eccleſiaſticum non temerè ſibi vſurpare iuriſdictionem in dominia & regna, ſed lege diuina obtinere: & in Reges ac Principes Chriſtianos, cùm res poſtulat, exercere.

SVbiectionis ius, in iudiciis decernendis & ſontibus puniendis maximè conſiſtit, vtrumq; diuinitùs Eccleſiæ conceſſum eſt. Nam inprimis Chriſtus apud Matthæum 18 cap. iubet adiri non curias principum, ſed Eccleſiam, in controuerſiis quarumcumq; perſonarum, ſi admonitio coram teſtibus nihil profecerit. Deinde D. Paulus 1. Cor: 6. à iudiciis ſecularium & gentilium, retrahit Corinthios ad iudicia Epiſcoporum & Eccleſiæ. Et Timotheo prohibet, accuſationem recipiendam, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Ita omnes antiquiores locum Pauli intellexiſſe ex Concilio Carthaginenſi, cui etiam interfuit S Auguſtinus, conſtat; idem decreuêre religioſiſſimi quiq; Imperatores, Conſtantinus magnus, Theodoſius magnus, Arcadius & Honorius filij ipſius, Carolus magnus, Iuſtinianus & reliqui, vt videre eſt apud Nicephorum, Sozomenum, & alios. Atteſtantur id ipſæ leges Imperatorum, quibus non ſolum appellationes omnes ad Epiſcopos permittuntur, ſed vnicuiq; ſiue actori, ſiue reo, facultas & optio datur adeundi forum Eccleſiaſticum, etiam lite conteſtata. Hauſerunt id procul dubio ex lege diuina. Nam Deut: 17. & alibi, ad tribunal Eccleſiaſticum ſontes citari iubentur. & Num: 5. Mulier de adulterio ſuſpecta, ad ſacerdotem duci præcipitur, ab eodemq; forma adiurationis eidem præſcribitur. Præterea, ſi Ioſepho credimus in Antiquit. lib. 4. nulla in veteri lege exercebantur iudicia, niſi Leuitis aſſidentibus. Sed in noua quoq; lege idem ab initio fuit obſeruatum. Audiuit cauſas eiuſmodi Auguſtinus ipſe. Audiuit Chryſoſtomus, qui etiam libro de ſacerdotio, quartam officij Pontificij partem, in eo poſitam docet. Exercuere ſæpe eandem

Decretum pro auctoritate Eccleſiaſtica.

Iudicia veteris legis omnia in præſentia Sacerdotum agi ſolita.

Digitized by Google

pe eandem ſuam poteſtatem Pontifices Romani, etiam in ſontibus puniendis. Exercuit Gregor: 2. in Leonem Imperatorem Iconomachum, cui partem imperij abſtraxit, & in Italia omnia eius ſuſtulit vectigalia. Exercuit Zacharias Pontifex, Hidelrico Francorum rege depoſito, & Pipino Caroli magni patre ſubſtituto. Et Leo quartus nonnè imperium tranſtulit à Græcis ad Germanos? Gregor: V. ſeptem Principibus Germaniæ, eligendi Imperatoris facultatē conceſſit, & præſcripſit modum. Gregorius item 7. qui Henricum quartum Imperatorem, non ſolum priuauit Imperio, ſed & anathemate percuſſit, neq; ab illo abſoluit, donec depoſito regio ornatu, nudis pedibus, quamuis aſperrima eſſet hyems, & gelu cuncta rigerent, ad ſe veniret petens veniam, & pollicens integram obedientiam ac emendationem; vt merito Genebrardus lib: 4. Chronologiæ ſuæ in Gregorij ſeptimi preconia erumpens, virum dignum Pontificatu fuiſſe aſſerat, ad deponendum Politicorum ſupercilium: Monarchas, inquit, terruit nominis ſui, & zeli charitate captiuitatem Eccleſiæ & ſeruitutem, quam à principibus patiebatur, reſtituit. Atq; idem Pontifex Boleſlaum ſecundum, cognomento Ferum, noſtræ Poloniæ regem, regni titulo & iure priuauit, difficillimis alioqui temporibus. Et quamuis centuriatores nonnullos proferant autores, qui in hunc Pontificem acerbius inuehuntur; ſed multo efficacius ſtabilitur noſtra de illo ſententia, Martini Poloni Saphnaburgenſis, Vincentij Galli, Othonis Friſingen. Gotfridi Viterbienſis, Tritemij, Naucleri, Crantij, Sabellici, Tyrij, Anſelmi, Bern: Cortienſis, Mariani Scoti, Blondi Abbatis Vſpergenſis, & aliorum teſtimonio. Innocentius tertius Othonem quartum Imperatorem ſimiliter depoſuit. Innocentius verò quartus & Gregorius nonus, nonnè in Fridericum ſecundum Imperatorem eadem poteſtate vſi eſſe leguntur. De Innocentio etiam conſtat, eum coadiutorem Regi Luſitaniæ dediſſe, ſub quo & religio & politia regni labefactari incipiebat. Clemens ſextus, Ludouicum Imperatorem à Ioanne 22. & Benedicto 12. excommunicatum, itidem depoſuit. Legatur Zonaras, Cedrenus, Paulus Diaconus, Ado, Sigebertus, Rhegino, Blondus, Platina, & alij plurimi, quos longum eſſet recenſere. Nec diffitentur id ipſi Magdeburgenſes centuriatores, quamuis teſtimonia illa ſuis conſuetis perfugiis eludere conantur. Eandem poteſtatem nonnulli alij ex Pontificibus, in Reges Galliæ, Angliæ, tum & Duces & Principes, quos longum eſſet enumerare, exer-

Romani Pontifices in quos poteſtatē ſuam exercuerint.

Gregorij ſeptimi laus.

rare, exer-

rare, exercuerunt. Quinetiam Epiſcopos pleroſq; eadem poteſtate vſos eſſe legimus. Scribit enim Lambertus & Ammianus lib: 4. Annalium, Anno Domini 1066. Epiſcopos & Principes Imperij frequentes Triburij in ripa Rheni conueniſſe, & collatis de morum licentia ac vitæ turpitudine ſententiis, Henricum quartum Imperatorem Regno abdicandum cenſuiſſe, & Archiepiſcopum Bremenſem eius tutorem venire detrectantem, Eccleſiæ & Reipub. hoſtem iudicauiſſe. D. Staniſlaus deniq; noſter Epiſcopus Cracouienſis, nonné iudicauit Boleſlaum occiſorem poſtea ſuum, illumq; à cætu reliquorum fidelium ſegregauit, cùm monitis eius non paruiſſet? Sacerdotum enim & ſpiritualium munus eſt, prouidere, ne quid detrimenti res Chriſtiana à Principibus patiatur. Et certè in omnibus orbis Chriſtiani regnis, in legibus ferendis, & cauſis decidendis, præcipua ſemper erat ſacerdotum & ſpiritualium authoritas, vt mirum ſit anonymum hunc noſtrum, vel in vicino nobis Hungariæ regno hæc non vidiſſe. A primo enim Chriſtianæ religionis in illo regno exordio, per Diocæſes & diſtrictus, Hũgaria nullos alios iudices in cauſis merè ciuilibus nouerat, præter Eccleſiarum Cathedralium Capitula vt vocant, nec antea ſecularium executioni cauſæ permittebantur, quàm expirauiſſet cenſurarum in iure expreſſarum tempus. Ab illis rectà appellationes ad regem deuoluebantur; nullus ibi terreſtrium, vt vocant, iudicum, vel ſubiudicum erat vſus. In Capitulis, codices inſcriptionum, controuerſiarum, decretorum, per notarios eiuſdem & ſcribebantur & aſſeruabantur; & inde ſi quid extrahendum erat, petebatur. Stetit diutiſſimè ſub tali iuriſdicendi poteſtate florentiſſimum Hungariæ regnum, & procul dubio ſtetiſſet, ſi hæreſes & opiniones de religione diuerſæ, animos Vngarorum à cura Reipub. ad priuata emolumenta non abduxiſſent, Turcarumq; tyrannidi non ſubieciſſent. Et tamen poſterioribus etiam temporibus in quadam Vngariæ parte nobis vicina, à Turcis minimè adhuc occupata, non alibi ab ipſis hæreticis diſceptabatur, & iure contendebatur, niſi in Capitulo Canonicorum Sepuſienſi: Teſtantur id etiam noſtrates quidam, fatenturq; ſe non ſemel apud eoſdem Capitulares iudices cauſas ſuas, vel coniugum ſuarum egiſſe, donec tumultibus, & hæreſibus graſſantibus exortis, Boczkaij ille hæreticus & impius, totam formam iudiciorum à ſpiritualibus ad ſeculares, eoſdemq; hæreticos tranſtuliſſet; ita tamen, vt antiquum nomen in exercendis

Iudiciorũ in Hungaria modus & ratio.

iudiciis

iudiciis & decretis ferendis Capitularium in hunc vſq; diem retinuerint, & cenſuris ſiue fulminationibus ſuis ſtramineis, ad morem antiquum alludentes, etiam nunc vtantur. Ita ſimiæ iſtæ, id quod à ſpiritualibus ſemel hauſerunt, ſibi vendicare & ad ſuam iuriſdictionem transferre nituntur. Quid verò de noſtra Polonia dicam? Priſcis enim illis ſubrudioribus temporibus, in quibus nulla adhuc legum, ſtatutorum, inſcriptionum, proceſſuum iuridicorum cognitio extiterat, ſed arbitrium Principis ius omnium erat, an non Epiſcopi & ſacerdotes, legum promulgandarum, atq; in ordinem redigendarum, optimos ſe artifices probauerunt? Quos ita ſuſpexit ac venerata eſt maiorum noſtrorum antiquitas, vt nihil illis inconſultis, nec in publicis, neq; in priuatis actionibus aggrediendum ſibi putauerit. Hinc per Poloniam, Latinus ſermo ita propagatus eſt, vt non alia quàm Latina lingua, omnium iudiciorum perſtrepant ſubſellia, omnes inſcriptiones & ſententiæ, tam in terreſtribus, quàm in caſtrenſibus iudiciis (vt vocant) eadem lingua expediuntur; & quod magis mirere, non aliter putabant antiqui illi fas ſibi eſſe annotare dierum, in quibus aliquid in iudicio actum fuiſſet, denominationes, niſi vel à præcedentibus, vel à ſubſequentibus feſtis Eccleſiaſticis, quorum inter cætera Dominici dies intra Paſchatis tempus occurrentes, primis ſuorum introituum Miſſæ literis deſignari, & vnica voce MICRE comprehenſi (vt facilius memoriæ mandarentur) in hunc vſq; diem retinentur ab illis, qui ſcriptionibus iudiciariis præſunt: iidem citationes omnes, necnon controuerſias partium litigantium, lingua Latina communiter conſcribunt, ita vt linguæ Latinæ vſus paſſim inter omnes, non tantum politiores, ſed vulgares homines (non ſine admiratione quarundam externarum nationum) communis habeatur, non aliis quàm Eccleſiaſticis primis auctoribus. Vnde Andreas Opalinski, Regni olim ſupremus Marſalcus, (cuius nunc filius natu maior, magno totius Cleri noſtri ornamento, Poſnanienſem agit Epiſcopum) in quadam cum ſpiritualibus concertatione appoſitè locutus fertur: Non ſe quidem negare, ſacerdotibus & ſpiritualibus acceptum debere referri, quòd Poloni cultiora nacti eſſent ingenia, & quod à barbarie & incondita iuriſdicendi confuſione, ad æquitatis & iuſtitiæ ſtudium, præſcriptis & in ordinem diſpoſitis legibus fuerint reuocati; verùm optare vt paterentur ſpirituales, nunc ſuo quemq; procedere gradu, neq; enim ſeculares, eorum

Leges in Polonia per Eccleſiaſticos conſcripta & in ordinem digeſta.

Latina linguæ vſus in Polonia frequens.

Andreæ Opalinij de Eccleſiaſticis ſententia.

Digitized by Google

amplius opera in iudiciis ferendis vti cupiunt, ne tam diu ſub pœdagogis conſiſtere videantur. Si voluiſſent Eccleſiaſtici ſuæ autoritati eſſe proſpectum, abſtinuiſſent ab erectionibus ſcholarum, & literarum propagationibus, neq; ſeculares ad has perdiſcendas admiſiſſent, & in hunc vſq; diem tanquam aliqua numina ab omnibus fuiſſent obſeruati & culti. Nunc verò eruditos multos ex nobilitate inueniri, qui ſi non ſuperiores, pares certè ſpiritualibus exiſtant. Et hæc quidem vir ille, vt erat facetus & diſertus, non tam ſerio quàm animi gratia dixiſſe fertur; rem autem totam de qua in præſens agimus, quaſi acu tetigiſſe videtur. Certum eſt enim in his ſaltem regionibus & prouinciis noſtris, nonniſi à ſpiritualibus & ſacerdotibus barbariem pulſam, & rudiores animos, ad pietatis & religionis cultum reuocatos. Horum auctoritas ſi ſemel labefactata & eneruata fuerit, verendum eſt, ne ſimul paulatim labaſcat & concidat Regia quoque & Senatus auctoritas, quæ hactenus maieſtate plena & conſiliorum grauitate floruit.

Eccleſiæ auctoritate labefactata etiam Regia & Senatoria flacceſcit.

Atqui hæc à me non in eum finem ſcribuntur, vt Principibus & magiſtratui Politico, omnem decernendi in iudiciis poteſtatem ablatam, & in Clerum tranſlatam eſſe velim (id enim & ſcripturis ſanctis, & vocationi Eccleſiaſticæ repugnaret, quæ non pateretur ſe tot iudiciorum diſtineri curis) ſed vt ſuum cuiq; ius conſtet, conforme illi ſcopo & fini, quem ſibi proprium ſtatus vterq; præfixit: Eccleſiaſticus quidem finem ſpiritualem, nempe ſalutem æternam, in quam omnes conatus ſuos dirigit & collimat: Politicus verò ſeu ſecularis, pacem & ſalutem temporalem. Et quia temporalia ſpiritualibus ſubordinari debent, tanquam ſublimioribus & magis neceſſariis, idcirco ſtatus Politicus, eatenus duntaxat conſeruari debet, quatenus conducit ad conſequendum finem illum ſublimiorem, quem ſpiritualis prætendit. Quod ſi ab eo declinet, aut illum impediat, per ſpiritualem ſtatum corrigi & coërceri debet, vt harmonia Ecleſiæ, quæ ex vtroq; ſtatu, veluti vnum corpus ex membris diſtinctis, ſed inter ſe bene conſentientibus redundat, in decore ſuo & robore integra conſeruetur.

CAPVT V.

Auctoritas Eccleſiaſtica, ex collatione poteſtatis Synagogæ antiquæ & Eccleſiæ Chriſti, confirmatur.

Samuel

SAmuel Leuita, vt rectè colligit Genebrardus, Dei authoritate Saulem Regem creauit; deinde peccantem publicè depoſuit, Dauide ſubſtituto & inuncto. An non Elias etiam Dei ſpiritu reges conſtituit, & abdicauit, non modo in Iſraël ſed & in Syria? Oſias Rex à Pontifice, templo & vrbe, fuit eiectus. Similiter Ioiada Pontifex, cùm iuſiſſet Ataliam interfici, Ioas Regem creauit. Et fecerunt, inquit ſcriptura, centuriones omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos, ad quos dixerat: Educite eam extra ſepta templi vt interficiatur foris gladio. Non ſolum autem eam iuſſit interfici propter tyrannidem, ſed etiã propter cultum Baal, cuius domum & altaria dirui iuſſit, & Sacerdotem Mathan interfici. An non Ieremias Sacerdos accepit poteſtatem ſuper gentes & regna, vt deſtruat, ædificet, euellat, & plantet? An Apoſtolica minor eſt authoritas quàm Prophetica? Quomodo igitur illud ſancti Spiritus oraculum impletum; Pro patribus tuis, nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram? Quare ſtat immota vox D. Ambroſij Epiſtola 33. Veteri, inquit, iure à Sacerdotibus donantur imperia, non vſurpantur: ſtant tranquilla pacataq; regna omnia, quamdiu obeditur Sacerdoti & Eccleſiæ. Ruunt ergo Politici cùm rapiunt ad ſe iura Eccleſiaſtica, & ſe ſupra Eccleſiam efferunt. Quam verò in Theodoſium Imperatorem exercuerit idem Ambroſius poteſtatem, legatur Theodoretus lib: Hiſtoriæ 5. cap. 17. Scribit etiam Frouardus Epiſcopus, & Amonius, de Carolina Clodouæorum ſtirpe vltima, quòd dum liberas electiones Clero eripit, dum Abbates equites armatos conſtituit & Monachis præficit, ſeque in Eccleſiaſticas functiones ingerit, Monarchiam perdit, & in Capeti familiam tranſmittit. Idem euenit Henricis, Fridericis, & aliis Imperatoribus & Principibus, qui non ſolum imperiis, regnis & principatibus exciderunt, ſed & vitam turpiter amiſerunt. Quod idẽ in vicinis etiam nobis Regnis aliquot ſpectauimus, vt tantò magis timere debeat Polonia noſtra, ne in eundem impingat lapidem. Nam poſtquam Eccleſiaſticam iuriſdictionẽ in comitiis Petricouienſibus ſemel labefactare cœpit, in dies penè eneruare pergit. Et huc maximè tendunt omnes hæreticorum conatus, huc turbulentorum hominum & aliorum conſilia, vt extincto ſtatu Spirituali, miſeram patriam noſtram decore ſuo exuant, & dent in ruinam præcipitem. Vtinam attenderent ad illa verè aurea & omni memoria & commendatione digniſſima verba pruden-

Reges à ſacerdotibus deponi & inaugurari ſoliti.

3. Reg: 19. 2. Para: 26. 4. Reg: 11. 2. Par: 23.

Pſal.

Eccleſiæ in Principes Chriſtianos poteſtatis exempla.

Polonia timendum à ruina.

Digitized by Google

tiſſimi Sigiſmundi primi, noſtræ Poloniæ Regis, quibus filium ſuum Auguſtum, iam morti proximus, ad pietatem & iuſtitiam colendam ita exhortatus eſt, vt ei ſucceſſus omnes ex animi ſententia proceſſuros ominaretur, ſi pietatem atque religionem ſanctiſſimam ſeduló, & ex animo coleret; neque ab inſtitutis maiorum, & iam inde ab exoriente religione Chriſti, apud omnes gentes recepto, & ad vſque noſtra tempora transmiſſo, retentoque cultu Dei Opt. Max. venerandiſque cæremoniis atque dogmatibus ſe cuiuſquam blanditiis vel aſſentationibus, & illecebris auocari, vel importunitate auelli ſuſtineret. Et ſtatim ſubiunxit: Non ignoras fili, quo ſucceſſu, qua fœlicitate, quantaque gloria nos tamdiu regnauimus. Id nos totum Deo Opt. Max quem ſedulò riteque coluimus acceptum referimus Exiſtimare autem debes, neq; regnum, neq; quidquam omnino ſanctum & inuiolabile eſſe poſſe, vbi religio labefactatur, qua ſola certus eſt & exploratus, piis Principibus ad cœlum aditus. Hæc Rex ille noſter prudentiſſimus, quem omnes Reges & Principes Chriſtiani, quicunque illo tempore rerum potiebantur, parentis loco coluere, non de alia religione, quàm de Catholica Romana quam ipſe coluit. Hæc inquam ille eo tempore, quo iter ſatis arduum, ex hac mortali, ad illam nunquam intermorituram vitam adornabat. Non commendauit certè Lutheraniſmum, quem vt primùm perſenſiſſet ſerpere, ſeriò edixerat, vt pubes & nobilitas Polona, quæ auiditate rerum nouiter emergentium illecta, Vitembergam ad nidum illum hæreticorum primarium conuolauerat, inde reuocaretur. Non accerſiuit in extremo vitæ periculo conſtitutus Miniſtros Huſſiticos vel Lutheranos, ſed Catholicos Sacerdotes. Non alia reliquit à ſe dotata ſacella, & tanto ſumptu in cultum Dei Opt. Max. erecta quàm Catholica. Imitatus eſt parentem optimum Auguſtus quoque filius, qui non ſolum circa exitum vitæ, ſe Catholicè velle mori proteſtatus eſt (quod & Sacramentis ritè perceptis comprobauit) verùm cùm adhuc ſuperſtes eſſet, in quibuſdā comitiis publicis, dum cognitio cauſarum Eccleſiaſticarū ad ipſum deferretur, non ſui id muneris & officij eſſe, ſed ad Epiſcopos & Eccleſiaſticos pertinere affirmauit.

Sigiſmundi primi Regis Poloniæ de religione Catholica teſtimoniū. Cromer: in orat: funeb: Sig: 1. ſub finem.

Sigiſmundus Auguſtus Rex imitatus Sigiſmūdum patrem Catholicè mortuus.

CAPVT VI.

Fruſtrà & immeritò conqueri anonymum, quaſi Eccleſiaſtici Politicas leges omnes ſuis legibus ſubiicere contendant.

Affirmat

AFfirmat anonymus Concilij Tridentini promulgatis per Pontificem decretis, non ſolum diuerſos religionis per Europam ſenſus, ſed etiam nationũ populorumq; leges, priuilegia, libertates, & mores obſiſtere. Quod ſi addidiſſet, vniuerſum infernum vnà cum dæmonibus, eiuſmodi decretis repugnare, oſtendiſſet multò etiam manifeſtiùs blaſphemias in Deum & Sanctos, portentoſas opiniones, diſſidia, ſchiſmata, tumultus & ſeditiones ſibi vehementer placere. Quid ſi vero priuilegia, libertates, leges populorum tales ſint, quæ cum Deo, cum bonis moribus, cum virtutibus, cum pietate manifeſtè pugnent, nonné Pontifici, concilijs legittimè congregatis, & Epiſcoporum Eccleſiaſticorumq; ordini, talibus ſe opponere, & legum vim nulla ratione obtinere poſſe, declarare licebit? Siquidem plurimos Pontificum, ſe eiuſmodi legibus (ſi modo leges dicendæ ſint) oppoſuiſſe conſtat, prout etiam pro lege diuina iidem ſeſe oppoſuère ſæpius, contra inceſtuoſos & adulterijs infames, contra Reges ac Principes, pro iuribus Eccleſiaſticis, pro oppreſſione pauperum & viduarum. *Exod: 25.*

Olim Deus voluit legem à ſe latam includi arcæ. Fuitné id ſatis? Minimè, ſed duos arcæ & legis cuſtodes adhibere iuſſit, Cherubinos videlicet, vt finem legis, in Dei & proximi dilectione includeret. Voluit præterea arcam, quæ erat ſedes ipſius, in medio collocari: quid ita? Vt ſignificaret, ſe totius legis, & medium eſſe & finem. At impius anonymus cum reliquis ex grege Politicorum, alium finem inducunt, non vt Deus in medio reſideat, qui finis ratio & modus eſſe debet, ſed vt ipſi, pro Deo duobus quibuſdam cherubinis Apoſtaticis ſepti ſedeant, hoc eſt, (quemadmodum à quibuſdam Catholicis & grauiſſimis viris annotatum eſt) vt legis obſeruatio, amor Dei & proximi, in eum ſolum referatur finem, vt ſtatus Politicus in ſuo vigore conſeruetur; alioquin & legem violare, & proximum auerſari, & in Deum ac omnes cœlites, probroſas blaſphemias eiaculari licitum ſibi arbitrantur. At delirat planè cum ſuis Politicis anonymus, dum leges, ſanctiones & conſuetudines quaſcunque, legi Diuinæ & Eccleſiaſticæ repugnantes, ſeruandas affirmat, & nihil aliud agit miſer, nihil aliud timet, quàm ne iniuſtæ, quas probat & ſequitur, leges aliquando abrogentur, ne confœderatio, & libertas quiduis credendi infringatur, ne iuriſdictio Eccleſiaſtica conuulſa redintegretur, & ad ſuos poſſeſſores redeat, ne templa Catholicis, & eorum pretioſa ſuppelex erepta, reſtituantur, ne

Lex Vetus olim cur arcæ fuit incluſa.

Anonymus quid maximè timeat.

tur, ne ea quæ integra adhuc remanſere, à prædationibus libera permaneant. Hæc ſunt quæ anonymus & lucifuga iſte prætendit, non verò probare leges mundi omnes, quarum pleraſque ipſe non ignorat eſſe & iniuſtas & inter ſe pugnantes, vt in illis corrigēdis & cōciliandis Policiti ipſi deſudēt, abſque fructu & exitu certo vllo. Vnde facetè Carolus Quintus Imperator, Germanorum comitia, viperis comparabat. Quemadmodum enim (aiebat) viperæ matres ſuas enecant, ſic illorum poſteriora decreta, tollunt & abrogant priora. Sed hic ſit Appendicis & totius huius Anatomiæ finis. Boni omnia conſule lector, & fœlicem labori huic noſtro ſucceſſum precare à Deo. Cui omnis benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo debetur in ſeculorum ſecula,

Caroli V. de legibus Germanorum ſententia.

398.923

Digitized by Google